


NAZIONALE
13
17
A
11
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE


Longovallius infestus fuit Andr
Alciato, ei detrahebat aliquoties i
eam contentionis rabiem adduc
nemini parcebat. Ita aiebat Claudius
Minos in vita Alciati dicit Longo:
vallium fuisse hominem intendentis sine
mente ac sine iure temulentum

# TRACTATVS DE
# IMPERIO
# ET IVRISDICTIONE
## DVORVM CLARISSIMORVM IVRISCONSVLTORVM.

## FRANCISCI DE CLAPERIIS, ET IOANNIS LONGOVALLII.


Quibus ea quæ ad hanc materiam spectant, exactissime tractantur & explicantur, & Doctorum communi opinione refutata, plurima iura, quæ erroneis intellectibus & interpretationibus scabant, suæ germanæ sententiæ & splendori redduntur & restituuntur.

*Adiecta sunt Summaria & Index copiosus.*









COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote, Anno M.D.LXXXXI.
Cum priuileg. Cæs. Maiest. ad sexennium.

IOANNI DE SADE IN SE-
CRETIORE REGIS CONSILIO CONSILIARIO, in suprema vectigalium & rationum Regiarum Curia apud Aquas Sext. præsidi primario & in Prouincia Procancellario dignissimo, Franciscus de Claperijs in ea Curia Consiliarius, S.



*VO tempore morbus Epydimicus miserè ciuitatem nostram infestabat, Ioãnes Sadee dignissime, tantaq; latebat causa nocẽs cladis: cum in vrbis solitudine & ciuium funere, fora funebri iustitio clauderentur: Et tu in amœnulo Mazani tui secessu, rebus tuis domesticis dares operam: ex meo agro veluti ex specula, quod erat in vrbe funestissimum lugebam. Quis enim in tanta omnium ordinum perturbatione quiesceret? sed cum ad nostra mala Dominus respexisset, & esset nostra pristinæ saluti restituta Ciuitas mihi reduci & bibliotecam omnino confusam aliquo ordine constituenti, venerint in meas manus iuueniles meæ cogitationes de Iurisdictione, de qua publicè adolescens Bononiæ 3. Non. Mart. 1547. disputaueră. Erat tunc, vt meministi, in illam ciuitatẽ propter epidemiam à Paulo III. Pont. Max. translata & traducta synodus Tridentina. Quapropter cùm in illam eruditissimi homines vndiq; conuenissent, nostræ disputationi de iuris illa quæstione nodosa adfuerũt. Habui enim (vt scis) eius actus, Henrici II. Christianissimi Regis, duos legatos spectatores, auditores, & iudices, Dorpheum virum, quem ob singularem omnium virtutum gloriam idem Henricus II. Francisco, Carolo, & Henrico Regijs pueris suis, vt olim Theodosius suo Arcadio, Arceniũ vi-*

*rum*

*rum sanctissimum præfecit, alterum, Michaelem Hospitalem, Catonem nostrum. quem Gallia post omnium honorum gradus, Cancellarium vidimus, & cum quo tāta amicitia tibi, tanta inerat familiaritas, & domestica veluti consuetudo, vt eum patris, te vero filij loco reputaret: vt nil officij tui in eo colendo, & sui in te amando relictum esset: vt eras ad omnem laudē, & ad omnem virtutem propensus, in moribus elegans, in consuetudine & comis & liberalis. Aderant item & præerant huic disputationi Aquensis archiepis. & Nomodonensis S. Pauli, Tricastriuensis, Briocensis, Sagiensis, Mirepensis, & eruditissimus Robertus Senalis Grāgiensis Episcopi. Mitto quanta cum frequentia eum suo & quinq; nationibus, vt moris est, gimnasiarcho, academia Mariano Socino iuniore, & Augustino Beroio Iurisconsultis magnis, insignis, in amplissimo iuris ciuilis auditorio praeesse voluit: sed nec hinc tu recens iurisdictionum auditor, aut arbiter, aut iudex defuisti, vt nō desideremus in te quod ab excellentibus ingenijs & studijs, à cognita industria, à spectata virtute, ab omnium optimo viro postulant qui bene iudicant. Cui ergo potius quàm tibi hos Commentarios consecro, quos indigestos peperit adolescentia, & quorum poliendorum ansam, senile in illa clade funesta cuius iam memini, otium prebuit, alio meo iudicio ordine, quàm iuris nostri præceptores, non quod in mustaceo laureolam quæram: sed quoniam noluisti hanc apendicem perire, ecce ad te eam refero, quem habeo relationis huius authorem, & tibi posterisque illam committens: istis quidem & iuris auditoribus, vt suadeam rebus non bene compactis, inuentis tamen facile esse plurimum lucis & veritatis addere: difficilis hactenus hac*

 fuit

*fuit quæstio & anceps, tot opinionum circulis, antiquitatis etiam iustitia in Menandros obscuritatis, præcepi data, & ex his labirintheis ambagibus nondum expedita, vt vnus error alterum trahit, vt illorum tamen paream & honori, & præceptorum labori, in quorum verba plerumque (vt scis) bene iuraui. Non erga alia fuit instituti mei ratio, quàm ea quæ ad veritatem ducit quam & colui, & amaui ego hactenus, nec nescio nostrum hunc laborem prorsus à foro alienum, quapropter & practicis ingratum hominibus, quos vel id quod communiter probatur, vel vsu confirmatur delectat, sed mihi ea mens, is fuit animus, vt illud scholis opus communicarem, vt esset ad veritatem stimului. At si æqui boniq; consulat lector, mihi abundè satisfecit. Te ergo mi Sadee vir amplissime, vindicem aduoco, id facio acrius iudicio de me excitatus tuo, ab eo tempore quo ante triginta annos hinc tuo ordini amplissimo, nomen dedi: à quo tempore, vt nil omnino dissimulem, te veritatis diligentissimum obseruatorem, virum summum, iudicem magnum, iniustitiæ & nundinationis iudiciariæ, hostem teterrimum, qui nullam pestem (vt olim prædixit Esaias bene) aut institutæ aut instituendæ politiæ capitaliorem putasti, quàm quod nunc plerumq; viget arbitrale iudicium, quod in ferundis suffragijs nullis legibus aut scripto iure nititur; sed scripta æquitate solum adumbratur. Quid ergo ista tua comitate, synceritate seduliitateq; inter omnes, in iudicio & apud principes nostros spectatius? sed hæc quæ maiorem copiam orationis desiderant in aliud tempus differenda sunt. non possum tamen iugi silentio prætermittere tuam in iudicando solertiam, qua summæ diligentiæ summam; seueritatem addi-*

*addidisti: non esse tuum sed solius principis, quem vnicè diligis, & cui iampridem omni obseruantia & amore te addixisti, inter æquitatem, iusq́ue interpositam interpretationem inspicere, quod fuit Constantini Imper. rescriptum Labino & Rufin. Coss. ad Bassum Præf. vrbi: sed iam facio finem, si me cum omnibus meis, qui omnes tui sunt, dedo, & trado, teq́ue oro vt istam tuam voluntatem erga nos, quæ est mihi rerum omnium charissima, conserues, atque tueare. VALE AQVIS sextijs, anno sequi millesimo octuagesimoquinto. Kal. Iun.*

AMPLISSIMO VIRO GVLIELMO POYETO, GALLIARVM Cancellario dignissimo.

*IOANNES LONGOVALLIVS. S.*

Est Epistola Dedicatoria Tract. Longouallij de Iurisdictione.

QVI nostra hac tempestate in legibus Imperatorum Iurisq; prudentum responsis, clarè & perspicuè elucidandis, acuratam nauant operam, vir amplissime; ij bifariam impendere laborem ab omnibus existimantur, non pauci etenim atq; si frequentiores glossemata commentariosq; antiquorum ad legum vicem obseruantes, auctioribus eos informant rapsodijs & declarationibus, verbososq; centones euulgant, in quibus nouas modò rationes moliũtur, modò ex alijs locis ad id, quod abest multa transferẽtes, nihil nisi vsitatum, atq; alibi disputatum proferunt; ita ex vepretis siluas, & ex fonticulis riuos ac prægrãdia flumina sæpenumero conficientes: Alij verò non contenti, per antiquorum tramites ambulare, legum mendosas plerumque interpretationes repurgant, vitiosasq; veterum opiniones in melius reponunt, modò corruptis & malè habentibus legibus medicas manus adhibentes, modò peruersè & obscurè intellectis veritatem & lumen maximum afferentes; illorum labor, etsi mea sententia haud aspernandus vsquequaq; videtur, eò tamen omnium iudicio iam peruenit, vt fræno potius reprimi debeat, quã laxis habenis amplius euagari permittatur. Quandoquidem copia scriptorum eo in genere tanta est, vt vix legendis ipsis vita hominum quantumuis benè longa sufficere queat.

Horum verò diligentior conatus mihi maiore com-

commendatione videtur dignissimus, & apprimè hodie necessarius, vtpote quo pleraque confusa in liquidum, obliqua in rectum, varia in certum constantemque sensum restituuntur. Hoc studio quantum legalibus literis & disciplinæ nostræ profecerint nostras Budęus, Alciatus Italus, Zasius Germanus, & non pauci alij politioris literaturæ viri, nemo est eruditorum qui ignoret. Ipse autem cùm adhuc in Gymnasijs legum versarer, viderem que multa ab opinione professorum Iuris descendere & proficisci, non autem à legum medullis effluere & deriuari; adhibui, nō semel iudicium, sed maximè cùm in imperij iurisdictionisque scrupulosa & nodosa hactenus doctrina, anxius inuoluerer: visum est mihi per legum nostrarum interpretes, hunc tractatum non rectè tradi, nec iuxta veritatem ab omnibus explicari.

Itaque rursum deorsumque sedulo eum versaui, crebroq; meditatus sum, atque eo tandem deueni, vt veritatem (nisi me mea vehementer fallat opinio) inuenirem: Eam primùm in Academia Ticinensi publicè disputaui; deinde conuersus ad forenses palatinosque strepitus in publicum edidi. Nunc autem quia ex multorum sermone ad me perfertur, à doctis eam non pro suggestis modò, sed etiam ex scripto approbari, limam exactiorem adieci, curauique vt politior quàm antea & locupletior in publicum prodiret. Vsqueadeò facilè fuit recens inuentis addere, quod veritati facilè multa arrident, & eā meliora semper haud grauatè consequuntur.

Cùm autem ad hanc rem patronum aliquem mihi deligerem, nemo sanè acceptior animo meo ac rei conuenienti raccurrit, quàm tu, vir am-

plissime, qui primas in ea quam tractamus iuris dicundi potestate geris. Si enim milites & Tyranos apprimè ambiunt & desiderant, duce & auspice Teucro, stipendia merere, egregioque ac summo alicui Imperatori nomine dare; sanè illi imperium nostrum iurisdictionemque iure consecrauerim, qui principem imperij iurisdictionisque in Gallia nostra locum obtinet. Accedat quod hæc editio nostra sub id ferè tempus incidit, quòd te Rex Christianissimus, ob singularem tuam prudentiam & innumeras quæ in te splendent animi virtutes, ad summum dignitatum cacumen euexit, & post se primum atque à consilijs maximum in regno suo constituit. Quod cùm omnes Galliæ populi summa cum lætitia exceperint; Ego quoque & meum gaudium priuatim aliquo munere testandum existimaui. Hunc igitur libellum nostrum interpretis quidem & non oratoris stylo editum, hilari vultu, & æquo animo suscipe, vir amplissime, in quo imperij iurisdictionisque doctrina, nostra inuentione facilis & restituta, tuis verò auspicijs tuta inter hominum manus versetur. Sis longæuus & valeas. A Lutetia Parisiorum, quarto Calen. Ianuarij.

CON-

# CONCLVSIONES SEV PARADOXA FRANCIS. DE CLAPER.

1 Vrisdictionis generis definitione Accursij reiecta, verior affertur. pag. 1.
2 Iurisdictionis generis, Bartoli diuisionem, etsi cõiter recipiatur, nos tamẽ illã iure reprobam9. 4
3 Imperij Bartoli definitione repulsa, verior datur. 15
4 Meri imperij Bartoli definitiõe reprobata, melior affertur. 22
5 Sex gradus omnes imperij causas cõprehendi, non ea ratione, qua Bartolus, sed noua. 33
6 Cõdere legẽ generalẽ, & omnia q̃ merij impij esse maximi dicit Bart. & q̃ in 1. gradu meri cõl locauit, ea nõ esse meri imperij ostenditur. 35
7 Imperium qua ratione mistum fuerit appellatum: & quomodo imperio insit iurisdictio, nouo sensu declaratur. 38
8 Misti imperij definitione Bart. reiecta, nos verã dabimus definitionẽ. 41
9 Bartoli misti imperij maximi, gradũ meritò reprobamus. 52
10 Qua ratione etiam Bartoli misti imperij maioris gradus improbatur. 53
11 Qua ratione mistum imperium paruum, quod quarto gradu locauit Bart. iure reprobetur. 55
12 Qua ratione quintum gradum Bartoli misti imperij iure repellimus. 63
13 Qua ratione misti imperij sextum gradum Bartoli etiam reprobetur. 64
14 Qua ratiõe fit etiã, vt iurisdictio, quę circa appellationẽ exercẽt, misti impe. esse nõ possit. 66
15 Qua ratione nec ius dandi tutorem, misti imperij esse potest. 67
16 Mãdata iurisdictione simplici, transeũt maiora, expressis etiam alterius generis vel gradus, sine

fine quib. iurisdictio explicari nō posset. quod ordinaria iurisdictione concessa, multò magis procedere defendetur. 53
17 Causas misti imperij, tribus gradib. distribuēdas, rectiùs quàm sex gradibus censemus. 80
18 Simplicis iurisdictionis definitione Bartoli & communi reiecta, nos veram definitionem & nouam dabimus. 82
19 Iurisdictionis simplicis primum gradum Bartoli iure reprobamus. 88
20 Qua ratione corporis cruciatū, ad quem iudicis propter sententiam iure actionis latā quandoque peruenire coguntur, ex regula, (Qui nō habet in ære, luat in corpore) simplicis iurisdictionis esse negatur.
21 Ratione eadē causæ ciuiles quæ excedūt quinquaginta solidos iure Codicis, vel trecētos aureos iure Authenticorū, quas in tertio gradu iurisdictionis simplicis locauit Bartolus, simplicis iurisdictionis esse inficiantur. 94
22 Ratione eadem dare bonorum possessionē, quæ ius tribuit, siue decretalem, quæ iure Digestorum cum solēni decreto dabatur: siue iudicialē, quæ in sola cognitione in iudicio facta consistit, iurisdictionis simplicis esse defēdetur. 97
23 Iurisdictionem simplicem non sex gradibus, vt Bartolus, sed duobus rectiùs concludi & distribui posse ostenditur. 105
24 Iurisdictionis quarta species, à nostris Scribentibus adhuc incognita, affertur. 106
25 Omnes causæ quartæ speciei iurisdictionis specialiter tributæ, sex gradibus commodò distribui posse ostenditur. 110

INDEX

# INDEX RERVM SINGVLARIVM, QVAE IN TRACTATV Francisci de Claperijs continentur.

Prior numerus numerum marginalem, alter verò paginam denotat.

*Absoluere reum à crimine est meri imperij, num. 4. pag.* 27

*Accusationem officio nobili non coerceri, num. 4. pag.* 7

*Appellatio est eius generis iurisdictionis, cuius est causa quæ in appellatione tractatur. nu. 1.* 66

*Animal quandoque sententia iudicis comburi iubetur, non vt puniatur, sed vt eo cõsumpto indigni facti memoriam hominibus amplius non refricet, nu. 6.* 30

B.

*Bonorum possessiones quæ ius tribuunt, numerantur tres, ædictalis, decretalis, & iudicialis. & quare singulæ ita fuerint appellatæ, num. 1.* 96

C.

*Concessione meri & misti imperij non veniunt ea, quæ misti imperij maximi dicit Bart. num. 2.* 52

*Condere legem vniuersalem, & ea quæ Principi sunt reseruata, non sunt meri imperij: & qua ratione, nume. 1.*

D.

*Datio bonorum possessionis, quæ ius tribuit, non est misti imperij, sed simplicis iurisdictionis, num. 1. & 2. pag. 55. Et quare sit magis simplicis iurisdictionis, quàm imperij. dicitur ibidem, nu. 5. & 6.* 58

Datio

Datio tutoris, non est misti imperij, reprobata opinione Barto. & communi. nu. 1. 67
Datio tuturis specialiter fuit à lege tributa, nu. 4. 72
Declaratio noua & vera ad l. imperium. & quomodo legenda sit litera responsi Vlpia. nu. 7. & 8. 68
Declaratur tex. in l. ius dandi. & l. muto. §. tutoris datio. vt non contradicant, nu. 2. 69
Decretum cum solemnitate, quare iure Digestorum interuenire deberet, nu. 2. 98
Definitio communis misti imperij reprobatur: & quibus rationibus, nu. 1. & 2. 41
Delegari non potest causa status, aut liberalis: & declaratur nouo sensu, & intellectu text. in l. si quis libertatem, de pet hæred. nu. 3. 90
Delegare causas & iurisdictionis simplicis proprium, nume. 2. 83
Dictio (etiam) posita in d. l. imperium, in vers. cui etiam iurisdictio inest, quid implicet ibi. nu. 4. 58
Diuisio noua iurisdictionis generis in quatuor species vel genera, licèt posset breuiùs in genera subalternatiua, vel secundùm essentiam, vel qualitates partiri, num. 7. & 8. 12
Dispositio §. iusiurandum, in Auth. de defens. ciuita. nouo sensu declaratur, na. 2. 6
Dispositio l. placet. C. de pedan. iudic. nouo intellectu interpretatur, nu. 3. 6

I.

IGnorantia quartæ speciei iurisdictionis, iurium inter se pugnantium inextricabile labyrinthum excitauit: & quare, nu. 6. 10
Imperij communis definitio reprobatur. nu. 1. 15
Imperij significatio latissima, sed in iure ciuili strictiùs multò

multò accipitur. num. 2. 17
Imperij genus noua descriptio, nu 3. 17
Imperium incidens, sequitur iurisdictionis naturam. & quando principaliter, vel incidenter interponatur, num. 5. 6. & 7. 18. & 19
Incidenter competunt maiora expressis, nu. 2. 74
Incidēter pōt iudex minor ordinarius, vel delegat⁹, testes vacillantes torquere, aut alias illos coercere pro veritate eruenda, etsi principaliter id non possit, n 3. 75
Iudex minor vel delegatus, non potest pœna corporali coercere nuncios vel executores, qui causas instructas eis afferre cessauerunt. & quare, nu. 6. 78
Iudex ordinarius efficitur delegatus, etiam in causa quæ est de eius iurisdictione ordinaria: si Princeps illi rescripserit, vt in illa causa procedat ex sola Principis authoritate, nu. 2. 118
Iudex ordinarius efficitur delegatus in modo procedendi, in causa ordinaria suæ Iurisdictionis, quando principali rescripto Iurisdictio eius ordinaria in modo procedendi tantùm fuit alterata. & cuius effectus sit tale rescriptum, num. 3. 112
Iudicandi necessitas magis ad ius dicentis officium & iurisdictionis exercitium pertinet, quàm ad ipsum iurisdictionis genus, nu. 6. 3
Iure magistratus quæ causæ competunt, nu. 5. 86
Iurisdictio ecclesiastica non venit incidenter ad causam secularis fori, nu. 8. 79
Iurisdictio est vniuersorum: officiorum verò particularium, in actu, administratione, & exercitio consistēs, nu. 7. pa. 2. non cohæret territorio, sed personæ, nu. 4. pa. 2. ciuilis, quomodo ab imperio discernitur, & eius definitio. & quare modica coercitio in iure appella-

tur imperium,quod non est merum, nu. 4. 18
Iurisdictio quæ inest misto imperio, non competit iure magistratus,sed specialiter tribuitur. & iurisdictionis varia ac diuersa significatio,nu. 5.pa.50. simplex ad priuatam,& ad publicam quandoq; expeditur vtilitatem,nu. 3.pa. 83. simplex melius duobus gradibus,quàm sex distribuitur. 105
Iurisdictionis generis cōmunis definitio refertur,nu.1. 1
Iurisdictionis generis vera ac perfecta definitio,nu. 2. 2
Iurisdictionis generis causæ,efficiens,materialis,formalis,& finalis referuntur,nu.8. pa.3. communis diuisio,nu.1 pa.4. simplicis, communis definitio reprobatur,nu.1. pa.82. simplicis noua & vera definitio, nu. 4 pa.84. simplicis non erant iure Codicis omnes causæ,excedentes summam quinquaginta solidorum: sicut nec hodie sunt iure Authen. causæ, quæ excedūt trecentos aureos,pag.94. generis quarta species declaratur,quæ neque imperium est,neque simplicis iurisdictio. sed alia diuersa species ab illa prorsus distincta & separata. Et quomodo differat à mero & mixto imperio. & à simplici iurisdictione,nu.1.& 2. pa. 106. quatuor esse species, non autem tres, probat quatuor modis,nu 3.ibid. quartæ speciei,sex enumerantur gradus nu. 1. 109
Iurisdictione concessa vel delegata priuato,transeunt omnia,sine quibus iurisdictio explicari non poßit: etsi maiora sint expreßis,aut alterius generis iurisdictionis,vel gradus,& quare,nu.8. 72
Ius occidendi desertorem militiæ,aut nocturnum grassatorem,ex legis sola permißione priuatus quilibet habet sine aliqua iurisdictione,nu 8. 33
LIberales causæ vel status,nō sunt simplicis iurisdictionū,

nis, nec iure magistratus competunt: ideò reijcitur distinctio Barto.in §.vbi decretum,nu.1. & 2. 88

M.

MAgistratibus municipalibus, quæ lex specialiter concessit, declaratur gloss. & communis illa sententia, quòd omnia quæ competunt magistratibus municipalibus, competunt iure magistratus,nu.3. 70
Memoriam defuncti potest iudex ob crimen damnare quandoque,nu.7. 31
Meri imperij communis definitio, multis modis reprehenditur,nu.1. 23
Meri imperij definitio noua differitur,& causæ quæ sunt de mero imperio summatim deferuntur, num.2.& 3. 25.& 27
Merum & mistum imperium alij definire, alij per exempla declarare voluisse Vlpianum in d.l. imperium existimarunt,nu.3. 57
Mistum imperium nullam partem capit à mero imperio, & diuersa misti & participij significatio,nu.1. 38
Misti imperij noua & vera definitio,nu.3. 44
Misti imperij non sunt, quæ soli Principi sunt reseruata, num.1. 51
Misti imperij non est cognoscere de viribus sententiæ,vel arresti,ob supplicationem. 53
Misti imperij non sunt, quæ sexti gradus misti imperij esse voluit Bartol. 64
Misti imperij sunt causæ,quæ in secundo gradu reponuntur,& quæ in tertio,nu.3.& 4. 81
Misti imperij non sunt omnia, quæ officio nobili expediuntur,& summariam cognitionem desiderant. 62
Misto imperio inest iurisdictio non vt genus in sua specie, sed vt pars in toto,nu.2. 40

*Modica coerciotio non est imperium merum neque mistum. sed imperium cohærens iurisdictioni, quod Paulus appellat imperium quod non est merum. & quæ sit illa modica coercitio, nu 4.* 49

*OFficium iudicis extra territorium quiescit, nu. 5* 3

*Officij nobilis appellatio, ad actum & iurisdictionis exercitium magis refertur, quàm ad iurisdictionem, quæ in abstracto & habitu consistit, nu. 5.* 8

*POena pecuniariæ in cruciatum corporis commutatio, iurisdictionis simplicis non est. & qua ratione, pa* 95

*Præscriptio non mutat naturam meri imperij: quoniam præscribitur cum sua causa. & an sit præscriptibile, ibidem remissiuè nu. 5.* 28

*Procurator generalis potest in consequentiam generalis mandati ea facere, quæ requirunt speciale mandatum, nu. 4.* 75

*REseruata Principi, non transeunt incidẽter, sed speciale & expressum requirunt mandatum, nu. 7. 79.*

*Restitutio in integrum, occupat primum gradum misti imperij, & qua ratione, nu. 1.* 86

*Restitutiones in integrum in Gallia solus Princeps concedit per Cancellarium, vel eius Procãcellarios in prouincijs nu. 2.* 81

*SVppletio Bartoli ad communem definitionem iurisdictionis generis reprobatur, nu. 3.* 2

*Statuta & ordinationes generales, vel constitutiones, quas faciunt Magistratus pro meliùs explicanda eorum iurisdictione, eius generis iurisdictionis censentur, cuius sunt causæ, vel res pro quibus fiunt statuta, nu. 2.* 37

*TEstes in ciuilibus cogendi, & de eorum dispositione ratio quæ habenda, nu. 8.* 21

FINIS.

# INDEX RERVM SINGVLARIVM, QVAE IN TRActatu Repet. l. Imperium. ff. de Iurisdict. omn. Iud. per Ioannem Longouallium in Parisiorum Senatu causarum Patronum, præcipuè tractantur,

*Prior numerus num. margin. posterior pag. denotat.*

A.


*AGens ad rem aliquam consequendam consetur etiam actionem intendere ad ea, quæ sunt ad illam praua. nu. 6.* 120

*Animaduersio in facinorosos an tendat ad publicã vtilitatem. n. 12. 14.* 123 124.

*Appellari ad quem debeat à sententia ei, cui mandata est iurisdictio: item etiam à sentẽtia eius qui datus est iudex. num. 5.* 129.

*Appellari ad quẽ debeat à sententia eius, qui à principe delegatus est. nu. 8.* 131.

*Assessoribus & consiliarijs non licebat iure Digestorum ferre sententias.* 9. 139.

*Animaduersiones in facinorosos non fieri officio iudicis nobili. num. 4. & 7.* 146. 147.

*Actione vel exceptione per statutum exclusus, non excluditur ab imploratione iudicis officij.* 3. 162

*Absolutio innocentis spectet ne ad publicam vtilitatem an ad priuatam. n. 13.* 124

*Adoptionẽ iurisdictionis esse, non mixti imperij. nu. 10.* 191

*Appellari posse ad superiorẽ à statuto promulgato per*


††     *corpus*

corpus aut sodalitiū aliquod, tametsi illud nullā habeat iurisd.n. 24. 199

Auctoritatem, quæ ex cōstitutione principis interponi debet à prætorem alienatione bonorū minoris, non posse per prætorē alteri delegari. 7. 208

Aediles itemq; Magistratus municipales tametsi imperium nō haberent, ex equi tamen sentētias suas poterant. 5. 230

Actio pluuiæ arcendæ quando & cui cōpetat. n. 32. 271.

B.

Bonorum poss. dationem non esse mixti imperij. nu. 10. 192. 152

Beneficia principum quatenus sint latißimè interpretanda nu. 8 240

Beneficia principum super iure dicundo esse ambitiosa, ac proinde restringenda. nu. 9. 240

C.

Causam status delegari non posse, & quæ sit huius ratio. nu. 7 138

Consiliarijs & Assessoribus non licebat iure Digestorum ferre sententias. 9. 139.

Collegium tale esse, qualis est maior pars eorum ex quib. constat. nu. 2. 156

Cognitionem alicuius causæ mādare quid sit. 10. 132

Cōstitutiones & statuta cōdere eos posse, quibus sola iurisdictio competit. nu 16. 125

Ciceronis locus in oratione pro l. Murena elucidatus. nu. 14 172

Canonistarum imperitia notatur circa interpretationem aliquarum dictionum. 17. 195

Clericus delinquens, coram magistratu seculari dū apud eum litigat, à quo sit coercendus. 4. 203

Consulum potestas apud Romanos cuiusmodi esset, & quousq; progrederetur. nu. 6. 231

Clam aliquid facere quis dicatur, atque tibi quod

*Clam poßidere & mala fide poßidere sunt Synonima nu.10.* 291

*Clam poßidere aliquem affirmãs quid probare debeat.nu.14* 293.

D.

*DEfinitiones non tradi à I.C. ad praescriptũ Dialecticorum, sed potius quasdam descriptiones aut nudas verborum significationes.14.* 150

*Dationem bonorum possess. non esse mixti imperij, cõtra quam hactenus opinati sunt interpretes iuris.n.10.& 2.* 152.191

*Denominationem fieri à digniori, ueniq; magis dignũ attrahere ad se minus dignum, quando verum sit nu.1.* 156

*Diuisionem Iurisdictionis à Bar. traditam imperfectã ac mancã esse.18.* 126

*Decuriones, imperium aut iurisdictionẽ non habẽt, atq; inibi quale sit eorũ officium.23.* 198

*Duumuiri qui dicerentur, & an iurisdictiõem exercerent.nu.2* 221

*Delegari posse multas causas quæ minoribus magistratibus non competũt. nu.3.* 207

*Delegari nõ posse quæcunq; magistratibus municipalib. competunt.4.* 207

*Delegatum rescripto principis, posse subdelegare, non etiã eum cui per constitutionem principis cognitio aliqua est concessa, & cur tã variè.n.11.* 201.

*Delegatũ iudicẽ posse mulctare, & inobedientem pœnali iudicio coercere. nu.2.& 7.* 216.

E.

*EMancipationem iurisdictionis esse, non mixti imperij.nu.10.* 191

*Excommunicatio quãdo sit meri aut mixti imp.nu.8.* 217.

F.

*FRuctuarius quare nõ possit intendere confessoriã pro seruitute debita fun-*

do, in quo habet vsumfructum: aut nouum opus nũtiare pro ædificio in damnum illius seruitutis extructo. 25. 266

G.

GLadij verbum in distinctione meri ab Vlpiano tradita quam significationem habeat. 9. 148

Gladij appellationem in sententia iudicis strictè accipiendam, & quæ huius ratio. nu. 11 148

Generali concessione non venire ea, quæ specialiter exprimenda sunt. nu. 5. 238.

I.

IVdicem non dari posse in vna caussa meri imper. nu. 2. 180

Iudex quando dicatur ex officio suo aliquid facere. nu. 2 161

Iurisdictio quid sit ex sententia Bart. quid item iudicis officium mercenariũ. nu. 3. 119

Iurisdictionis definitio Bar. obiectionibus impugnatur. n. 7 & 17 p. 121. 125

Iudicis dandi potestatē non nunquã exerceri in caussis meri imperij atque etiam mixti. 10. 122

Innocentis absolutio spectet ne ad publicã an ad priuatē vtilitatem. 13 124

Iurisdictionis diuisionem à Bar. traditam imperfectã ac mancam esse. 18. 126.

Intellectus ad l. placet. C. de pedan. iudicibus. 1. 127

Iudicem dare, iurisdictionē dare, diuersa sunt, atq; inibi quid sit mãdare iurisdictionem, quid sit iudicem dare. 2. 128

Iudicem dari posse ab eo cui iurisdictio mandata est, quãuis iurisdictionem sibi mandatam alteri mã dare non possit. 3. 128

Iudex datus alium iudicem dare nō potest nisi à principe datus sit n. 4. 128

Iurisdictione per principem mandata, eandē potestate transferri, quæ iudicibus ordinarijs per legem con-

conceditur.6. 129
Intellectus ad l. vn. C. qui pro sua iurisdict. 9. 132.
Intellectus ad l. 4. §. si quis ad pedaneum. ff. ne quis eum qui in ius vocatus vi exim.nu. 2. 134
Iudices aut Senatores pedanei seu etiam pedarij qui dicantur apud Oratores nu.3. 136
Iudices aut præsides an & quatenus iure nouissimo vices suas alijs demãdare possint nu. 4. & 5. 144.136.
Intellectus ad l.placet.C.de pedaneis iudicibus.6 137
Intellectus ad Auth.ad hac. C.de iud.n.8.10.139.140
Intellectus ad l.3 ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.ctio.11. 140
Iurisdictio quid sit ex sentẽtia Speculatoris. 12 141
Inquisitionem aduersus delinquentes posse fieri per iudicẽ ex mero suo officio citra vllã accusationẽ, atq; inibi quod huiusmodi inquisitio parum ad-modum cognita sit iure ciuili.nu.6 146
Intellectus ad l. cognitio. ff. de offic. eius cui manda. est iurisd. nu. 3 163
Intellectus ab interpretibus hactenus traditus ad l. imper. circa fi. ff de iurisd.om.iud. 2. 159
Iudicis officium mercenarium quid sit.3. 1·9
Intellectus nouus ad l. 1. ff. de iurisd. om iud. 1. 161.
Iudex quando dicatur ex officio sua aliquid facere nu. 2. 161
Iudicis officiũ duplex.n. 4. 162.
Iurisdictionẽ mãdare quid sit.nu.2. 128
Iudicis officiũ tantundẽ operari circa actiões bonæ fidei, quantũ expressa cõuẽtio partium in strictis iuris iudicijs.6. 163
Iudices pedaneos dare, est causarũ vniuersitatem alicui cõmittere. 10. 132
Intellect. nouus ad l. imper. ff. de iurisd. om. iud. 165
Intellectus ad l. iubere caue

re.ff.de iurisd. omn. iudi.nu.2.& 6. 167.169
Iurisdictionis definitio. nu. 7. 169
Iurisdictio circa quae consistat.nu.7. & 10. 15. pa. 171.169.173.
Iurisdictione mandata non transferri imperiũ, atq; inibi emendata l. solent. circa prin.ff.de offi procons.nu.11. 171
Iudices ordinarios potuisse iure Pandectarũ omnẽ suam iurisdictionem alteri demandare.12.172
Iurisdictionem accipi nonnunquam in iure pro edicto pratoris. 18. 174
Intellect.ad l postquam. §. 1.ff. vt leg.vel fideic. seruan.cau. cauea.19. 174
Intellectus ad l.fi.de offi.eius cui. man. est iurisdi. nu.22. 175
Iurisdictionũ nomina cuiusmodi apud Gallos vsurpentur, & quae sint earũ discrimina.nu. 23. 175
Iudicẽ dari non posse in vna causa meri imp.2. 124
Intellectus ad l.cùm praetor. §. item duo.ff. de iudicijs.nu. 4. 180
Iudicem à principe in causa criminali datũ posse eam caussam alteri delegare.nu.5. 181
Iurisdict. quibus competat. nu 1. 181
Intellectus ad l.fi ff.de offi. Procur.Caes.nu.3 182
Iudices ordinarios potuisse iure Pandectarũ omnẽ suam iurisdictionem alteri demandare.1. 184
Intellect. ad l. & quia ff. de iurisd.om.iud.2. 184
Iudex nõ põt alteri delegare eã causam ciuilẽ, cuius cognitio ei specialiter à lege Senatuscõsulto vel principũ constitutione mãdata est.3.184
Iurisdictio voluntaria posset nec ne alteri delegari.n.5 6.7. 185.186.
Imperij appellatio quàm latè nonnunquam pateat. nu.11. 191
Intellectus ad l fi. C.vbi & apud quos cogni. in integram

grum rest.agē.sit. 15. 193
Iudices dati ab ijs qui mādatam iurisdictionē habent non possunt in integrum restituere. 16 194
Iudici merum imperiū habēti quatenus licet iurisdictionē suā pœnali iudicio defendere, & quatenus liceat ei qui solā iurisdictionē habet. n. 2. 3. 202.
Intellectus ad l. 1. ff. de off. eius cui mand. est iurisdi. nu. 2. 3. 5. 10. 12. 14. pag. 207. 203. 210. 211.
Intellect. ad l nec quicquā. §. vbi decret. ff. de offic. procon. & lega. & ad l. omnia quæcunq;. ff. de reg. iur. nu. 13. 211
Intellectus ad. §. qui mand. ex l 1. ff de offi. eius cui mand. est iurisd 15. 212
Intellectus ad. l. 2. fin. ff. de iud. Et ad l. aliud est fraus. §. is mulctam. ff. de verb. signif. nu. 3 215
Iudicē delegatū posse quæstionē habere de testib. qui nō satis sibi cōstant. 5. 216.
Iudex datus potest in pœnā contumaciæ, lite non cōtestata, mittere aduersarium in possess. bonorū. nu. 6. 216
Iudicē delegatū posse exequi sententiā suā virtute mixti imperij, quod mādata iurisdictione in eū translatum est. 10 218
Intellectus ad l. properandum, §. sin autem reus. ff. de iud. 11. 219
Intellectus ad l. à diuo Pio. circ. prin. ff. de re iudic. nu. 12. 219
Iudicum seu arbitrorū datorū ad articulū aliquē causæ expediendum, frequentem esse in iudicijs vsum. 13. 220
Incarceratio, mulctæ dictio, ac reliquæ huius pœnæ, an & quando meri aut mixti imperij sint. 9. 218
Iurisdictiōe alicui per principem concessa transeat nec ne merum imperiū. nu. 1. & 2. 237
Iurisdictionis concessionem non esse beneficiū sed o-


mus

*nus potius ac prouinciam nu 6.* 239

*Iurisdictionis oneri nullum inesse commodū.7.* 239.

*Iurisdictionē non cohærere castello vel ciuitati sed ipsis magistratib. 14.* 242.

*Iurisdictiōu vsucapio an possit procedere, quæ sint necessaria.18.* 245

*Iurisdictionē vsucapi decē vel viginti annis contra quām hactenus opinati sunt interpretes.19* 245

*Iurisdictionem cōferri cum seruitute, quam continuam vocant.20* 245

*Iurisdictio trāseat nec ne in cōcessione castelli, villæ, oppidi vel ciuitatis à principe facta, & an merum imperium.10* 241

*Intellectus ad l. seruitutes. la.4.ff. de seruitutibus. nu.23.* 247

*Intellectus ad l foramen ff. de seruitutib. vrb. præd. nu.1.& 6.* 251, 255

*Intellectus ad l. seruitutes. la.3.ff. de seruitutibus. nu 7.* 255

*Intellectus ad l. certo generi, ff. de seruit. rusticor. præd. nu.8.* 257

*Intellectus ad l. vt pomū, ff. de seruit.10.* 257

*Intellectus ad l Lucius. ff. de seru. rust. præd. an possit saltem valere vt seruitus personalis.12* 260

*Intellectus ad l.1. ff. de vsu fr. leg.n.17.21.* 263. 265

*Intellectus ad l. vsusfruct. ff de vsufruct. leg. n. 23* 265.

*Intellectus ad l. 2. §. idem Neratius. ff si seruitus vend nu.23* 266

*Intellectus ad l. Mela. §. fi. ff. de alim & cibar. leg. nu. 26* 267

*Intellectus ad l si prius. ff. de aq. plu. arc. 27.* 265

*Intellectus ad l. locare. ff. loca. Itemq; ad l. si is qui. §. fin. cum l. seq. ff. de pignor. nu 28* 269

*Intellectus ad l. si quis diuturno. ff. si seruit. vend. nu 31.* 271

*Iurisdictio de itinere reficiendo quis possit agere, atq; inibi*

*inibi excussa lege apparet.§.pen.ff.de itin, actuq́; priu 36.* 273

*Intellectus ad l hoc iure,§. ductus aquæ. ff. de aququot & æstiua.42.* 277

*Intellectus ad l si ego § 1.ff. de publ.in rem actione. 19.* 397

*Iurisdictio & merum imperium longo tempore vsucapitur.44* 278

*Iurisdictio patrimonialis quæ dicatur.47* 280

*Iurisdictio quomodo diuidatur apud Gallos, videlicet tripliciter, in Altã, Mediã & Baßã 23.* 175

*Iurisdictio an poßit vsucapi ab eo, qui nec Castellum habet, nec territorium. n.8.pa.291.& n.6.* 289

*Iurisdictio an poßit citra titulum vsucapi, & quid de reliquis iuribus, putà seruitntibus. n.17.18.20 pag.* 295.297.296

*Iurisdictio an & quãto tẽpore per cessatiõnẽ perdatur.2 3.pag.299.300*

*Iurisdictionis libertatem vsucapi non posse 1.* 399

*Iurisdictionem non posse vsucapi aduersus Imperatorem vel alium summũ Principem. & an hoc sit perpetuum, num.45. 46.* 278 729

*Iurisdictionem facilius vsucapi aduersus Pontificem Rom. quàm Imperatorem. & quæ sit huius ratio.48* 281

*Iurisdictionẽ seruitutesq́; omnes posse vsucapi ignorante etiam aduersario.1.* 283

*Iurisdictionem consistere posse sine territorio, nume.7* 340

L.

*Lex vnica.ff.si quis ius dicen non obtemp.de qui. magistratibus loquatur. 13.* 172

*Legis actio apud quos esse dicatur.12* 191

*Leges condere.*

*Legitimare, Notarios, Tabelliones q́; creare, nec imperij esse, nec iurisdictionis.27* 200

Legato villa, domus vel castelli, non cedunt instrumenta, suppellex, & alia adiacentia. 12 242

M.

MErum imperiũ quomodo à Barto. definiatur, atque inibi quid sit offi iudicũ nobile. 1. 1.8

Mixti imperij definitio ex sententia Bartoli. 2. ibi.

Meri imperij definitio Barto. obiectionibus impugnatur. 15 .25

Mixti imperij definitio Barto. obiectionibus impugnatur. 15 120

Mandare iurisdictionem quid sit. 2 128

Mandare cognitionẽ alicuius causæ quid sit, atque inibi quid sit dare iudices pedaneos nõnunquã vniuersitatẽ causarũ alicui cõmittere. 10 132

Merum imperium quid sit, item quid mixtum imperium ex sentẽtia Speculatoris. 12 141

Merum imperium quid sit ex sententia Ange. Perusini. 1. 144

Merum imperium quomodo definiatur à I. C. Vlpia in l. imperium ff. de iurisd. om. iud. 8. 147

Merum imperiũ rectè definitum esse ab Vlpia. per rei substantiam. 13. 158

Mixtum imperium quid sit ex sententia Ang. Perusini. 1. 152

Magis dignũ attrahere ad se minus dignum, quando verum sit. 1. 156

Merum imperium definiri à I. C. Vlp. in l. imperiũ. ff de iurisd. omn. iudic. nu. 8 170

Merum imperium qui dicantur habere, & circa quæ consistat tale imperium. 9 ibid.

Magistratus maiores quãdiu in eo magistratu sũt non posse in ius impunè vocari, minores posse: atque inibi qui dicãtur maiores magistrat⁹, qui item minores. 16 173

Mixtum imperium quid sit & quibus competat, nume. 1.

me. 1. 21 201.175.188
Merum imperium quibus competat. 1. 4 238.176
Merum imperium qui magistratus apud Romanos haberent. 2.4 176.178
Merum imperium nō posse per eū, cui cōcessum est, alteri delegari, & an id sit perpetuum, num 1.3. 6. 179.180.181
Mixti imperij exempla varia. 2.3.4.5.6.7.8 188
Mixtum imperium exerceri officio iudicis mercenario, contra quam Bar. ac sequaces opinati sunt. nu.2.9 228.190
Manumißionem iurisdictionis esse, non mixti imperij. 10 191
Mixtum imperium quatenus se extendat. 1. 202
Mixtum imperiū posse delegari contra quam hactenus opinati sunt interpretes. 1. 206
Mandari non posse eam cognitionem, quā lex specialiter voluit ad iudicē aliquem spectare; nume.9. 209
Mixtum imperium mādata alicuius iurisdictione transferre & accedere. 1. 214
Mulcta duplex. 4 215
Mulctæ dictio, incarceratio ac reliquæ huius generis pœnæ, an & quādo meri aut mixti imperij. 9. 218
Magistratus municipales, non habere mix. imper. & quæ sit huius ratio. nu. 1. 3 221.222
Magistratus municipales in cuiusmodi homines coercitionē haberēt, et quòd talis coercitio non esset mixti imperij. 4 222
Merum imperiū significare causarum criminalium cognitionē, ciuiliū cognitio iurisdictionis appellationi continetur. 1. 226
Merum imperiū consistere in executionibus sententiarum tam ciuilium, quàm criminalium, an sit verum. 2.7 229.231
Magistratus municipales, itemq; Aediles tametsi impe-

imperium non haberēt, exequi tamen sentētias suas poterant. 5. 232

Magistratus minores quādiu in eo magistratu sūt non posse impunè in ius vocari, minores posse, atq; tibi qui dicantur, nu 9 233

Magistratus maiores: & qui magistratus minores. 9 ibid.

Merum imperium trāseat necne in concessione Castelli, villa, oppidi, ciuitatis à Principe facta: & an iurisdictio. 0 241

Merum imperiū vel ius tollēdi furcas, quod quis habet in fundo aliquo, ratione totius territorij, nō transire per alienationē illius fundi 15 243

Merum imperium & Iurisdictio longo tempore vsucapitur. 44 278

Mala fide & clam possidere esse synonyma. 10 391

N.

NOtarios creare nec imperij esse, nec iurisdictionis. 27 200

Nouialis sit necne ager quomodo probetur. 34 273

O.

OFficium iudicis nobile quid sit, ex sententia Bartoli. 1. 18

Officium iudicis mercenarium quid sit. 3 119

Officium iudicis duplex, nume. 4 162

Officium iudicis quod actioni deseruit, circa quæ versetur. 5 163

Officium iudicis tātundem operari circa actiones bonæfidei, quantum expressa cōuentio partium in stricti iuris iudicijs, nu 6. 163

Officium iudicis rectius diuidi in nobile & mercenarium, quàm in merū & mixtum 8 292

P.

PRætor habuerit necne imperium apud Romanos. num. 3 178

Partitionem vitiosam esse, qua pars aliqua omittitur. 19 126

Pedaneos iudices dare est causarū vniuersitatem ali-

*licui committere, num. 10.* 132
*Pedanei iudices qui sint in iure 1 4* 133.175
*Præsides an & quatenus iure nouissimo vices suas aliis demandare possint. nu. 4.5* 176
*Punire neminem debere sine accusatore. 5* 146
*Possessionem in seruitutib. ac cæteris reb. corporeis nihil aliud esse, quàm earum vsum. 24* 246
*Patientiam quæ in seruitutibus traditionis loco habetur, nullam inferre seu supponere scientiam nu. 3* 285
*Patientia vel traditio quomodo cadat in seruitutibus. 4* 387
*Præscriptionem 30. annorũ procedere citra bonam fidem in iuribus incorporalibus, non secùs ac in rebus soli. 11* 292

R.

R*Estitutio in integrum, sitne iurisdictionis etiã obseruando definitionẽ iurisdictionis à Bartolo traditam 8* 121
*Restitutio qua potissimùm ratione petatur. 9* ibid.
*Relatiuum, Quod, positum in oratione sine copula, restringit præcedentia. num. 4* 154
*Restituere apud I. C. frequenter accipi pro eo, quod est in pristinũ statum reponere. 20* 174
*Restitutionem in integrum iurisdictionis esse, non mixti imperij. 10* 191
*Restitutionem in integrum non solùm delegare posse, sed etiã mandata iurisdictionis transire, nume. 14* 193
*Restitutionem in integrum apud Gallos à solo Principe impetrari, 18* 195
*Restitutionem aduersus sententias auditis partib. à iudice prolatã, non dari apud Gallos 19* 196
*Restitutio aduersus arrestũ supremæ curiæ, quibus casibus soleat apud Gallos dari. 20* ibid.

*Resti-*

*Restitutionem in integrum apud Gallos facilè interpretari aduersus sententiam ex contumacia latam, & an aduersus arrestum ex contumacia latam. 21* 197

*Rector prouinciæ datus iudex specialiter constitutione Principis ijs, qui à potentioribus opprimuntur, non posse eas causas alteri delegare. 8* 208

S.

STatuta & constitutiones eos condere posse, quibus sola iurisdictio competit nu. 16 125

*Sententiæ appellatione non venire sententiam, in causa quæ summatim et de plano discutitur, nume. 2* 145

*Sententia qua quis pœna capitali simpliciter damnatus est, rectè intelligi potest de pœna deportationis. 12* 149

*Stipulationes iudiciales, quæ dicantur, quæ item prætoriæ & cautionales nu. 3 4* 167

*Stipulationes rem pupilli saluam fore, et rem ratã haberi, quare dicantur communes. 5* 168

*Sententiã suam posse eum executioni mãdare, cui iurisdictio est mandata. 4* 430

*Seruitutes omnes decẽ vel viginti annorum spacio vsucapi, aliter atq; hactenus traditũ sit ab interpretibus. 21* 426

*Seruitutes hactenus nõ rectè diuisas fuisse ab interpretibus in continuas & discontinuas, sed oẽs ex æquo continuas esse atque etiam discontinuas. 22* 247

*Seruitutem itineris habens potest etiã noctu per vrbana prædia iter facere. 2* 253

*Seruitutem viæ sui natura nõ habere intermißionẽ atq; inibi emẽdata l. vsusfructus. ff. de vsufr. lega. 3* 253

*Seruitutes nõ rectè hactenus*

tiis diuisas fuisse ab interpretib. in cōtinuas & discuntinuas, sed oēs ex æquo cōtinuas esse atque etiā discōtinuas. 4. 254
Seruitus proijciendi quæ dicatur. 5 ibid.
Seruitus de qua in l. vt pomum. ff. de seruitut. an possit saltem valere vt seruitus personalis, nume. 11. 15 258. 261
Seruitutem realiū eam esse naturam, vt gratia prædiorum concedantur; & vltrà extendantur, nume. 14 261
Seruitutem debitam accipi per manum eius, cui debetur, debitorem autem teneri ad patientiā præstandam in earum vsu. numi. 16 262
Seruitutem realem ex alia seruitute reali concedi posse. 20 264
Seruitutes omnes x. vel 20 annorum spatio vsucapi, aliter atq; hactenus traditum sit. 30. 35. 37. 43. 270. 273. 278
Sepulchri ius in nullius bonis esse, nec possideri, neq; vsucapi. 38 274
Seruitutes nō posse propriè vsucapi, cùm nō propriè possideantur, sed tamen posse quasi vsucapi, cùm quasi possideantur, nume. 39 225
Seruitutis libertatem propriè ac verè vsucapi, cū seruitus nō verè, sed quasi vsucapiatur: & cur tā variè. 49 276
Seruitutes cōstitui per traditionem vel patientiā, nu 2. 5 285
Seruitutē non aliter vsucapi posse, quàm si is qui ea vtitur, existimet id se suo iure facere. 16. 294
TEstamentum minus solenne tametsi inter liberos valeat, non tamē propriè testamentum dicitur. 3 145
Tabelliones creare nec imperij esse, nec iurisdictionis. 27 200
Tutoris datio an sit imperij, an iurisdict. an verò neutrius,

neutrius. 22. 26. 97. 199
Transactionis super alimentis interponēda causam, pratori specialiter constitutione Principis cōcessum, non posse per ipsum pratorem alteri delegari. 6 208
Territorio concesso trāsire etiam iurisdictionē tanquam territorij verbo comprehensam. 16. 243
Traditio vel patientia quomodo cadat in seruitut. 4. 287
V.
VErbum generale non nunquàm restringi ad specialem significationē vel pro subiecto argumē to, vel ob alterius verbi continentiam. 10. 148
Vsucapi fundum an seruitute rectius dici, quàm praescribi fundum, aut seruitutem. 10 234
Verborum significationi inhaerēdum esse, nisi de voluntatis interpretatione manifestè constet, num. 13. 242
Vsumfructum pradij habēs potest alteri ex suo vsufructu vsum vel habitationem concedere. num. 18. 263
Vsum domus habens, potest inquilinum secum recipere. 19 ibid.
Vsucapioni certum tempus non fuisse praefinitum iure Digestorum. 29. 270
Via vicinalis sit publica an priuata, quomodo probetur. 53 272
Vsucapionem seruitutis exigere bonam fidem vsucapientis. 9 391
Vsucapionem praecessisse bona fide, quis probare debeat, num. 12. 13. 15. 292. 293. 294.

FINIS.

# TRACTATVS DE IMPERIO ET IVRISDICTIONE FRANCISCI DE CLAPERIIS.

## De Iurisdictionis generis definitione.

*SVMMARIA.*

1 *Iurisdictionis generis, communis definitio refertur.*
2 *Iurisdictionis generis, vera ac perfecta definitio.*
3 *Suppletio Bartoli ad communem definitionem iurisdictionis generis, reprobatur.*
4 *Iurisdictio non cohæret territorio, sed personæ.*
5 *Officium Iudicis extra territorium quiescit.*
6 *Iudicandi necessitas magis ad ius dicentis officium pertinet, quàm ad ipsum iurisdictionis genus.*
7 *Iurisdictio est vniuersorum, Officium verò particularium in actu, administratione, & exercitio consistens.*
8 *Iurisdictionis generis causæ efficiens, materialis, formalis & finalis referuntur,*

### CONCLVSIO I.

Definitione Accursij reiecta nos veriorem afferemus.

Accursius ita definit iurisdictionem, vt † sit potestas, iure publico introducta cum necessitate iurisdicẽdi, 1
& æquitatis statuendæ. Cui definitioni alij detrahendum, alij verò addendum aliquid putant: sed cũ omnis definitio in iure sit periculosa, l. omnis

definitio, de reg. iur. ego cum minori periculo sic
2 definiendã existimo. Vt sit † iurisdicendi potestas, iure publico cõstituta, vt vnicuiq; quod suum est officio Iudicis tribuatur. In qua bonæ definitióis leges verificantur. Siquidẽ explicat naturam diffiniti: de quocumq; finitio loquitur, de illo & definitũ. Et finitio hęc nullas habet voces ambiguas: & rei finitæ tantùm cõuenit. Quæ omnia perfectã definitionẽ demonstrant. Doct. cõmuniter in l. 1. §. 1. de dolo malo. Deci. in d. l. omnis definitio. Et constat hæc definitio genere, & differentijs: Nam *potestatis* verbum, genus est: latior est enim eius significatio, quàm *iurisdictionis* verbum, l. potestatis verbũ, de verb. sig. l. 2. de his qui sint sui vel al. iur. Tribuitur autẽ hęc iurisdictio iure publico non autem priuatorũ consensu, l. pen. de iud. l. priuatorum consensu. C. de iurisd. om. iud. vt suppletio Bar. in l. 1. col. 2. nu. 3. in fi. de iurisd. omnium iudic. (vbi dicit, huic definitioni Accursij addendũ, tanquàm à persona publica, vt excludat potestatẽ patris, tutoris, & domini) hoc loco non sit necessaria. Tum alia ratione, quia pater in liberos, dominus in seruos, tutor in pupillos, ius dicere haud potest, l. qui iurisdictioni, de iurisd. omnium iud. & l. si quis à liberis, in princ. ibi, Iudex cognoscat: de liber. agnoscen. l. qui liberos, ibi, proconsules præsidesq; prouinciarum coguntur in matrimonium collocare. de ritu nuptiarum. licèt id quod iustum & æquum est, & iure constitutum, facere debeant.

3 Nec adijciendum puto † definitioni territoriũ, quemadmodum Bal. existimat in l. 1. de iurisd. omnium iud. Non enim † cohæret iurisdictio territo-
4 rio, sed personę magistratus, cui inest iurisdictio, tanquàm

tanquàm in subiecto agente. Bar. in l.1.§.initio, de offi. præfect. vrbi. & in l.1. col. fi. num. 15. de iurisd. omn. iud. cuius sententiam sequitur ibi Ias. nu. 15. Alex. nu. 32. Dec. nu. 37. & communiter Scribentes, vt ibi testatur Curt. Iun. num. 102. Siquidem potestas hæc iurisdicendi, non rebus, sed personis adhæret: licèt iusdicentis officium, loco & territorio circumscribatur. quoniam extra territorium iusdicentis † officium quiescit: licèt iurisdictio in habitu & potentia, retineatur & cõseruetur. glo. in l.3. de off. præsid. Ias. in l. fi. de iurisdict. omnium iudic. Nam existens extra fines territorij iurisdictionem mandare potest, & iudicem dare, l. fin. & ibi glo. & Bart. de offic. præfect. vrb. & glo. communiter approbata in d. l.3. quòd minus posset, si non haberet iurisdictionem. Qua ratione iusdicenti extra territorium impunè non paretur, l. fi. de iurisd. omn. iud. 5

Cæterùm † necessitas iudicandi, quã ponit Accursius in sua definitione, magis ad iusdicentis officium, & iurisdictionis exercitium pertinet, l. de qua re, de iudi. quam ad iurisdictionis genus, quã nos hoc loco definimus, quæ vniuersalis est in abstracto considerata. Est enim Iurisdictio † vniversorũ, Officium verò particularium in actu, administratione, & exercitio consistens Bar. Bal. & Dd. communiter in l.1. de iurisd. omn. iud. implicitam habens iudicandi necessitatem: licèt id generale, perpetuum sit: Nam quicquid in potestate iudicis positum est, id omne iuris necessitati non subijcitur, l. non quicquid. in prin. de iud. 6 7

Finis & scopus † Iurisdictionis est, ius reddere, & suum vnicuique, per officium iudicis tribuere, vt quisque quod suum est consequatur. Huic definitioni suæ quoque insunt causæ, Efficiens, ius 8

publicum,à quo creatur iurisdictio. Finalis,vt vnicuique quod suum est tribuatur. Formæ & materię est,iurisdicendi potestas,qua velut ex materia formatur iurisdictio, vt nihil aut parum certè huic definitioni desit.

## De Iurisdictionis generis Diuisione.

*SVMMARIA.*

1 *Communis diuisio Iurisdictionis.*

2 *§.iusiurandum,in authen de defensor.ciuitat. nouo sensu declaratur.*

3 *L.placet.C.de pedan. iudic. etiam nouo intellectu interpretatur.*

4 *Accusationem officio nobili non exerceri.*

5 *Officij nobilis appellatio, ad actum & iurisdictionis exercitium, magis refertur: quàm ad iurisdictionem,quæ in abstracto & habitu consistit.*

6 *Ignorantia quartæ speciei iurisdictionis,iterum inter se pugnantium inextricabilem labyrinthum excitauit,& quare.*

7 *Diuisio noua iurisdictionis generis, fit in quatuor species, vel genera: licèt posset breuius in genera subalterna,vel secundùm essentiam,vel qualitates, partiri & nu.8.*

9 *Iurisdictionum origines, & quando manu Regis, vel Magistratum imperia regerentur.*

CONCLVSIO II.

IVrisdictionis generis Bartoli diuisionem,(etsi communiter recipiatur:) nos tamen illam iure reprobamus.

Iurisdictionum genus † in duo genera partitur Barto.in l.Imperium,colum.2. num.45.de iurisd. omni-

omnium iudic. in imperium, ſcilicet, & iuriſdictionem,quæ generis nomẽ retinet, quam ſimplicem vocat. Et hæc duo genera officio iudicis nobili & mercenario, vt proprijs & ſpecificis qualitatibus,inuicem diſiungit. Siquidem imperium à iuriſdictione ſimplici, officio nobili, tanquàm propria qualitate diſterminat, propriumque Imperij officium nobile exiſtimat, quod ei ſoli & ſemper conueniat: ſicut mercenarium iuriſdictioni ſimplici. deinde,imperium ſecat in merum & miſtum. & hoc modo partitur iuriſdictionem, in tria genera:in merum,& miſtum imperiũ, & ſimplicem iuriſdictionem.dicens,nullam cauſam eſſe,quæ ſub his tribus generibus non contineatur.

Hanc Bartoli partitionem, quotquot fuerunt iuris interpretes,ſequuti ſunt, ſumma viri, vt puto,authoritate perſuaſi: vt in iudicijs & conſultationibus iamdiù ſit comprobata, vt ei contradicere ſit,(quod eſt in prouerbio)in cœlum expuere.Attamen nos, quoniam hoc loco nõ in iudicijs ſumus,nec in foro iudiciali contendimus,aut conſultamus: ſed more maiorũ in Bononienſi academia,virorũ illuſtrium alumna,& omnium artium ac diſciplinarum Enſiclopedia,diſputationem de iure conſtituto(cõcertationis gratia)ſuſcepimus: vt diſputando, veritas magis ac magis eluceſcat. Ideo cõmuniter diuq; receptas, & ab Scribentib. approbatas ſententias,non tã oppugnare aut euellere, quàm earum veritatem hactenùs ſepultam, ſuſcitare conamur.quoniam(vt eſt in prouerbio) amicus Plato,amicus Socrates, magis tamen amica veritas.

Itaq; hęc Bartoli partitio,in eo quod diſtinguit imperium à iuriſdictione ſimplici officio nobili: tanquàm propria differentia, pace dicam tanti

2 viri, digna est reprehensione, quoniam † hoc Bartoli est commentum, quod non probatur iure. Siquidem. §. iusiurandum, quod est præcipuum fundamentum suæ sententiæ, non probat illud, quoniam nihil prorsus in illo textu, de officio nobili dicitur: sed solùm de his quæ iurisdictione egent, & ex ipsarũ iudicum authoritate pendẽt, quæ gl. ibi ad causas meri & misti imperij retulit, quãuis plures aliȩ sint causȩ, quas ciuitatũ defensores expedire nõ possunt: quæ tamen non sunt neq; meri neq; misti Imperij, vt suo loco ostẽdemus cũ quartam iurisdictiõis speciẽ declarabimus. Decipitur itaq; gl. & nimis coarctat illũ text. Siquidẽ in d. §. iusiurandũ. verbum *authoritas*, non pro officio nobili vel mercenario sumitur: sed pro omni iurisdictione, & administratiõe specialiter tributa maiorib. iudicib. quæcunq; sit illa, siue ciuilis sit, siue criminalis. Nã postq̃ Imperator in illo paragrapho cõstituerat propriã defensorũ iurisdictionem, dicit, nõ posse præsides prohibere fieri apud defensores, quæcũq; monumẽta partes voluerint facere. Sed ne videret̃ his verbis, etiã permissum defensorib. cognoscere de his causis, quæ maioribus iudicib. fuerũt reseruatæ, & specialiter tributæ: ideo statim subiũxit hæc verba, *præter illa sola, quæ iurisdictione egẽt*. scilicet maiorũ iudicũ, & ex illorũ authoritate pendẽt, de quib. defensores nõ possunt se intermittere, cognoscere, aut iudicare: cùm nõ sint de sua iurisdictione. Et hoc modo habes lector verũ sensum illius §. iusiurãdum.

Et multò minùs probat Bar. sentẽtiam l. placet, 3 vers. quòd nõ, quæ ita accipi cõuenit, vt in his etiã causis in quib. solebant ex officio suo cognoscere, dandi iudices, licentia eis permissa credatur. C. de ped.

ped.iudic.vbi existimat Bar.& cum eo cõmuniter Dd.illa verba, *ex officio suo*, de nobili iudicis officio esse intelligẽda, & ad imperiũ merũ & mistũ solũ referẽda. sed hoc etiã est Bar.commentũ & limit.nã in tex.nihil prorsus de nobil.dicit̃ Siquidẽ mẽs Imper.fuit, illa l.cohibere delegationes causarũ, quæ passim & indiscriminatim pro volũtate faciebãt iudices:& iudicib.prohibere ne imposterũ hoc faciãt:sed notioni propriæ eas reseruẽt, & propriã cognitionẽ in illis adhibeãt,nisi publicis occupationib. aut causarũ multitudine id facere prohibeant̃: verũ subiungit statim, quod tamẽ ita accipi cõuenit,ne credatur ex hoc illis permissum & delegare ea, quæ ipsi prius solebant ex suo officio,& industria cognoscere, hoc est per se ipsos adhibita propria cognitione.& nõ per delegatos.

Tertio loco allegat Bart. pro sua opinione.l.nequicquã.§.vbi decretum.de offi.proconf.sed parũ ad rem,cùm in illo §. nihil omninò dicatur de nobili officio.nec possit illius sentẽtiæ paragraphus ille suffragari, vt facilè est videre ex his quæ doctissimè scripsit Alcia.cap.3.paradox.lib.2.

Sequitur ex supradictis opinionẽ Bar.etsi cõmunis sit,iure nequaquã probari,& præter hoc quod iure non probatur,redditur falsa ex pluribus.

Primò, quia accusatio proculdubiò est de mero imperio, & de illa solus cognoscit qui habet gladij potestatẽ,vel merum imperiũ:minimè†tamen exercetur officio nobili,cùm in ea desiderentur libellus,& subscriptio,tanquã in actione.Habeturq; accusatio loco actionis,cui officium iudicis seruit,& famulatur: quemadmodũ & actioni, ideo *actionis* verbo, etiã accusatio cõtinetur, vt volunt Pet.Bal.Ias.& Moder. in l.imperiũ, Bart.& 4

Alex.in l.iudex,de re iudi. Bart.in extrauagan. ad reprimendum.in verbo,per accusationem. sequitur hanc Alc.d.c.2.lib.2. paradox.vbi accusationẽ ab officio iudicis frequentiori calculo dicit separatam.Bal.in l.1.de cond.ex lege.dicit accusationẽ criminalem esse. & in l.imperium, in lectura nona,dicit,se putare accusationem & officiũ iudicis esse species differentes:sicut accusatio & inqsitio.

Secundò,quia Bart. cùm putat, verbis *officio nobili*, definiri imperium, decipitur: quoniam
5 illis verbis,magis definitur illud† quod est in actu & exercitio imperij, quàm ipsum imperiũ, quod in habitu & potentia consistit, ab omni subiecto passibili abstracto.in ocio & pace quiescẽs.Siquidem his verbis *officio nobili*,ius dicentis officium magis, quàm ipsa imperij iurisdictio demonstratur, vel definitur.longa nanq; est differentia,inter iurisdictionẽ & iusdicentis officium. vt post Bar. volunt cõmuniter Dd.in l.1.de iurisd.omn.iud. ꝙ illa sit in abstracto:hoc autẽ in concreto consistat.

Tertiò,quoniam officij nobilis vel mercenarij, nulla mentio apud Iurisconsultos habetur,vel apud Imperatorum constitutiones, quãuis merum iudicis officiũ quandoq; inueniatur, quod ex iudicis sola authoritate pendet, & nulli actioni vel accusationi famulatur,l.5.vers.prætoriæ, de verb. obl.& de diuisione stipulationum in Inst.Hinc ex subdisiunctiuorũ natura, necesse est dicere, mistũ officiũ esse,quod ipsi mercenariũ,appellãt: sed cũ imperij meri, authore Bartolo,sint omniũ maleficiorum pœnæ,& coercitiones, vt not.Bart.in d.l. imperium,quem Doct.cõmuniter sequuntur:quæ tamen officio mero iudicis,regulariter non expediuntur, cũ sola delictorũ generalis inquisitio,ex mero


mero iudicis officio procedat, vt frequentiùs concludunt iuris Pontificij interpretes, in rubr. de iudic. & in c. qualiter & quando, de accusationibus. & Aret. in tract. maleficiorum, in verbo, ex mero officio. quæ iure ciuili regulariter est prohibita, nisi certis casibus. Barto. in l. 2. §. si publico, ad leg. Iul. de adult. cætera autem delicta, per accusationem puniuntur, quæ magis iudicis officio misto, quàm mero expediuntur: Bart. & Alexan. in l. iudex, de re iudic. Bal. & Ias. in d. l. imperium, Ange. & Imol. in l. 5. de verb. oblig. hanc opinionem dicit communem Alc. paradox. lib. 2. ca. 2. & Bart. in extrauag. ad reprimendum. in verbo, per accusationem, Bald. in l. placet. C. de peda. iudicib.

Nec sapit quod in hanc rem distinguit Areti. in rubr. de accus. & Seuerin. in l. imperium, col. 4. nu. 10. dicentes, iudicis officium nobile, vt genus continere & merum, quod in inquisitionibus, & mistum, quod in accusationibus versatur. Sed iure non probatur eorum distinctio. Cùm mistum officium, vt mero oppositum, comprehendat omne officium iudicis, quod non est merum. & sic in actionib. & ciuilib. caus. interponatur. Accedit etiam nostræ sententiæ, quia accusationis ius residet in parte. l. iure mariti. C. de adulte. Vbi marito intra sexaginta dies ius accusandi, iure mariti cõpetit: quibus elapsis non potest accusare, nisi iure extranei, & in l. rescripto, §. si quis accusatorem, de muner. & honor. notat Bart. in l. 2. §. si publico, ad legem Iul. de adult. & satis colligitur ex eo, q^d accusatore mortuo, extinguitur accusatio ipsa, l. fin. C. si reus vel accusator mort. fuer. l. si postulauerit, §. fin. vbi not. Bart. eodem tit. & l. terminato, C. de fructib. & litium expensis. quod non fieret, si penderet à mero, aut nobili iudicis officio, quod

in persona iudicis residet. Ex quibus iam dictis communis diuisio iurisdictionis generis, meritò reprehendi, reprobarique sine iniuria potest. Siquidem partitioni Bartoli vnum membrum deesse superiùs iam docuimus: cùm multæ & propè infinitæ causæ sint, quæ neque imperij meri vel misti, vel simplicis iurisdictionis sunt. Et quæ ex concessione Principis meri & misti imperij, ac simplicis iurisdictionis non transeunt, sed specialem prætereà permissionem vel delegationē Principis desiderāt: siquidem ei solùm competunt, cui lex, Senatusconsultum, vel Princeps nominatim hoc dedit, vt tutoris datio, l. muto. §. tutoris datio, de tutelis. & cognitio causarum ciuilium vltra tricentos solidos, quæ neque imperij meri, vel misti est, neque iurisdictionis simplicis, cùm iure magistratus non competat, §. & iudicare, in authent. de defens. ciuita. iuncta doctrina gloss. communiter approbatæ in l. 1. in verbo, iure magistr. de off. eius cui mand.

6 Et hæc est † quarta species iurisdictionis à Scribentibus nostris non animaduersa, cuius imprudentia, iurium pugnantium, aut antinomiarū inextricabile labirintum excitauit. siquidem iuris ciuilis interpretes, cùm totum iurisdictionis tractum ad tres solummodò iurisdictionis species, seu genera cohibere conantur, tenebras effuderunt: & pugnantia iura, infinitaque contraria, ac inextricabiles antinomias excitarunt. Quę enumerata quarta iurisdictionis specie, cessabant, vt suo loco ostendemus. Nam cùm ea quæ huius quartæ speciei iurisdictionis sunt, misto tribuunt imperio, vt illa quæ per libellum experiri non possunt, quæ Bartolus tribuit misto imperio in l. nec quicquam, §. vbi decretum, de offic. proconsul. cuius doctri-

doctrinam sequuntur Doctores communiter. & illa donant iurisdictioni simplici. vt causæ liberales, & status, & aliæ ciuiles, quas in 1. & 2. gradu iurisdictionis simplicis locauit Barto. in d. l. imperium, colum. fin. quæ reuera sunt huius quartæ speciei iurisdictionis. & quæ occupant quartum & quintum gradum huius quartæ speciei iurisdictionis, vt inferius suo loco demonstrabimus. & rursum, quæ sunt simplicis iurisdictionis, imperio applicant: sicut adoptio, emancipatio, & bonorũ possessionis datio: quæ omnia sunt iurisdictionis simplicis, vt suo loco ostendemus, licet Bartol. & Doctores communiter in d. l. imperium, illa posuerint in sexto gradu misti imperij. ac etiam quæ nullius sunt iurisdictionis: sicut illa quę Princeps sibi soli reseruauit, & nulli Magistratui concessit, mero imperio aut misto tribuunt, vt sunt ea quæ in primo gradu meri imperij, & quæ in 1. & 2. gradu misti posuit Barto. in d. l. imperium, nu. 8. 17. 18. hoc modo prophana sacris (vt est in prouerbio) miscentes, inextricabili iurium pugnantium labyrintho se implicuerunt, à quo, vt extricare se possent, commenta officij nobilis & mercenarij, publicæ & priuatæ vtilitatis distinctiones, ac definitiones inuenerunt: quibus, veluti iuris regulis omnia ad pacem reducere conati sunt: non ex iure, quod est sumendo regulas: sed ex eorum nouis commentis, ac definitionibus, faciendo ius, quod priùs non erat, vt iam pro iure eorum commenta, vel definitiones sint, etsi iure careant. vnde cùm pacem antinomijs dare putant, deterius bellum, & implacabile excitant, & omnia iniusta eorum interpretatione, caliginosa reddunt: & cum lucem afferre volunt, nebulas spargunt. Sed ope & auxilio Dei Optim. Max. has excutere tenebras & lu-



& lumen rebus caliginosis afferre tentabimus, iurisdictionis genus, in quatuor genera seu species partiendo.

7 Sunt itaque † quatuor iurisdictionis species, seu genera. merum scilicet, mistum imperium, iurisdictio simplex iure magistratus competens, & iurisdictio, quæ neque imperium est, neque iurisdictio simplex, sed ei soli competit, cui lex, Senatusconsultum, vel Princeps nominatim illam concessit.

8 Potest † adhuc iurisdictionis genus, in sua genera subalterna breuiùs partiri, vel secundùm essentiam, vel secũdùm qualitatem diuersis modis: sicut & actio, quæ secundùm essentiam in realem & personalem diuiditur. & secundùm qualitates aliæ sunt bonæ fidei, aliæ stricti iuris, aliæ in simplum, aliæ in duplum, triplum, vel quadruplum. Sic quoque secundùm essentiam omnis iurisdictio diuiditur, in imperium & iurisdictionem, quæ nomen generis retinet, sicut adoptio. Rursum imperium diuiditur in merum & mistum: sicut & iurisdictio, retinens nomen sui generis, diuiditur etiam in duas species, in iurisdictionem, quæ iure magistratus competit, quæ simplex iurisdictio à modernis appellatur: & iurisdictionem, quæ ei soli competit, cui lex, Senatusconf. vel Princeps specialiter concessit, quæ est diuersa ab imperio & iurisdictione simplici.

Secundò potest etiam diuidi iurisdictio, genus secundùm suam essentiam, in duas species seu genera. vt vna iure magistratus competat: altera lege, Senatusconsulto, vel à Principe specialiter tribuatur. illa simplex, hæc specialiter tributa, appellatur. Hæc rursus subdiuiditur in merum, & mistum imperium, & iurisdictionem specialiter

tri-

tributam, quæ est quarta iurisdictionis species ab imperio & iurisdictione simplici prorsus distincta & separata.

Tertia quoque iurisdictionis generis diuisio, fit secundùm qualitatem, vt vna iurisdictio sit ciuilis, altera criminalis. Hæc continet ius gladij, & ad vindictam delictorum, & ad solùm merum imperium refertur, quod in iure potestas appellatur. l. potestatis verbo, de verb. sign. & Vlp. in d. l. imperium. Illa verò omnes causas ciuilis iurisdictionis complectitur: hoc est omnes causas, quæ non sunt de mero imperio. ideò subdiuiditur in tres species, in mistum imperium, in simplicem iurisdictionem, quæ iure magistratus competit, & illam quæ specialiter tribuitur à lege, Senatusconsulto, vel à Principe: quæ est quarta iurisdictionis species, hactenus ab Scribentibus non animaduersa. Et sic in effectu, semper sunt quatuor genera seu species iurisdictionis: de quibus singulatim est dicendum.

Sed priusquam singulas huius diuisionis partes pertingam, operæpretium duxi lectores huiusce nostræ disputationis admonendos, nos in hac disputatione de iudicum authoritate, & iurisdictione secundum leges Digestorum & Codicis agere: quoniam Iustiniani Imperatoris constitutionibus & nouellis, multa fuerunt mutata circa iurisdictionis tractatum, quæ iure Digest. & Codi. non erant, & hodie in Gallia, Italia, & toto Christiano ferè Imperio, merum, & mistum imperiũ, & omnia ferè, quæ olim præsidibus & maioribus iudicibus specialiter fuerunt tributa, Magistratib. municipalibus, & ciuitatum defensorib. sunt etiã tributa. imò hodie in Gallia, omne imperium merum & mistum, ac omnis iurisdictio ciuilis à Prin

cipe

cipe nostro iure magistratus tributa censentur, & infructuosa & penè inutilis hæc nostra disputatio Gallis videatur. Tamen proderit ad veritatis cognitionem, & intellectum multarum legum, & iurium, quæ in Pandectis & Codice iniusta interpretatione prostrata iacent.

9 Ad quorum † intellectum operæpretium est, pauca de origine iurisdictionis hoc loco referre. Nam constat à Principe omnem iurisdictionem, quę apud vniuersum populum Romanum erat, in Imperatorem lege Regia lata, fuisse translatam, l. 1. de const. Princ. & sola manu Regia ab initio ciuitatis iudicia exercebantur, quoniam Magistratus creati nondum erant, sed à Rege omnia agebãtur, l. 2. de orig. iur. sed cùm ipse Princeps, omnibus negotijs superesse haud posset: ideò magistratus in ciuitatib. & municipijs creati sunt, quibus leuiores causas Princeps audiẽdas, cognoscendas, & decidendas, iure Magistratus mandauit. Causas autẽ animaduersionis in facinorosos liberos homines, & alias ciuiles Maiores, Princeps sibi reseruauit, nec vlli eas iure magistratus cõcessit, quas pręsidi & alijs maioribus Magistratibus, ob industriã personæ, vel dignitatem magistratus, aut grauitatem causę, nominatim & specialiter aliquib. ita cõcessit, vt proprio officio, cognitione, & examine illas cognoscerent & iudicarent: nec possent alijs illas demãdare. Hęc fuit iurisdictio specialiter tributa, lege, Senatusconsul. vel à Principe præsidib. prouinciarũ. & alijs maioribus iudicib. quæ minorib. Magistratib. & duumuiris fuit denegata. Hęc est scribentium vnanimis sententia, post gl. in l. 1. de off. eius cui. itaq; videamus de singulis iurisdictionũ generibus, & primò de mero imperio & potestate gladij maioribus iudicibus specialiter tributis.

De

## De Imperio genere.

### SVMMARIA.

1 *Imperij communis definitio reprobatur.*
2 *Imperij significatio latissima, sed in iure ciuili strictius multo accipitur.*
3 *Imperij generis noua descriptio, & nu. 6.*
4 *Iurisdictio ciuilis quomodo ab imperio discernitur, & eius definitio, & quare modica coercitio in iure, appellatur imperium, quod non est merum.*
5 *Imperium incidens, sequitur iurisdictionis naturã, & quando principaliter, vel incidenter interponatur. & nu. 6. & 7.*
8 *Testes in ciuilibus cogendi, & de eorum dispositione ratio qua habenda.*

### CONCLVSIO III.

IMperij generis, definitione Bartoli repulsa, nos veriorem dabimus.

Superius dictum est quomodo iurisdictio genus, diuidatur in imperiũ, & iurisdictiõem, quę nomen generis retinet. & rursum imperium in merum & mistum. Itaque prius videamus de imperio genere, quid sit, & quale: deinde singulas eius partes prosequemur. Ita hoc ordine à generalibus ad particularia fiet progressus.

Bart. in d. l. imperium, nume. 5. existimat, † imperium genus, esse illud quod officio nobili expeditur, & ita definit, vt sit iurisdictio, quæ officio iudicis nobili expeditur. hoc ponens ad differentiam iurisdictionis, quam dicit expediri officio iudicis mercenario, pro sua opinione adducens §. iusiurandi. in fin. in authent. de defensor. ciuitatum. 1

tum.& l.2.C.de peda. iudic. & notata in §. vbi decretum.& cum Bart.transeunt communiter Doct. eius sententiæ subscribentes, ob tanti viri, vt puto, authoritatem. Sed hęc Imperij Bart. descriptio, præter id quod ab Imperij propria significatione longè lateque recedit, nihil ponit quod sit proprium sibi, aut commune habeat cum illius quiditate: Siquidem officium iudicis in actu & exercitio consistit, & tanquam homo agens consideratur. Sed imperium genus, est ab omni concreto abstractum, in habitu & potentia consistens: & tanquam homo in ocio & quietè manens, consideratur. Prę tereà nec verum est, imperium semper officio nobili expediri, nec merum Imperium à misto, publica, vel priuata vtilitate distingui. cum hæ qualitates non sint propriæ qualitates imperij meri, vel misti: sed communes sint omnibus iurisdictionis speciebus, quemadmodum & officium iudicis nobile: commune etiam est omnibus iurisdictionis speciebus, vt inferiùs in reprobatione definitionum meri & misti imperij Bartoli, opportune demonstrabimus. & cur merum vel mistum imperium fuit appellatum, & quale sit, ibidem declarabimus.

Itaque hoc loco de Imperio genere solùm agemus. quod imperium genus, puto esse illud, quod ipsum verbum sonat, hoc est præceptum, vel iussum iudicis, cui omninò parēdum sit, quod coercitionem personæ, vel coactionem habet, à verbo, *impero* deriuatum, quod significat *iubeo*, compositum ab *in* particula intentiua, & verbo *paro*, quasi *statim prorsusq; paro*, vnde iussum appellamus imperium: in qua significatione multis in locis in iure accipitur in l. si liber homo, ad

leg.

leg. Aquil. ibi, si modo ius imperandi habuit. Sic in l. idonei, de testibus. idonei testes non sunt quibus imperari potest vt testes fiant. Sic apud Comicum in Eunuch. *Iubes ne* (inquit Parmenon) *Cherea. iubeo, cogo, atque impero.* Sic quoque Cicero actione quarta in Verrem: *quid interest* (inquit) *verum Prætor imperet, vique cogat aliquem de bonis decedere: an huiusmodi iudicium det, quo indicta causa, fortunis omnibus euerti necesse sit.* Hinc dicimus patrem familias in liberos habere imperium, dominum in seruos, & ducem belli in suos milites: quoniam eius imperio, iussui, & præcepto, liberi, serui, & milites statim prorsusque parere habent necesse. Aliquando tamen imperium pro regno seu vniuersali Principis ditione accipitur, vt cum dicitur: *diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.* Hinc Virgilius: *Imperium Oceanum, famamq́ terminat astris.* Et aliquando imperium sumitur pro magistratu, qui imperium habet, vt cum dicitur: *Imperia iusta sunto*, hoc est, *Iustè creentur magistratus*, & est figura, quæ contentum pro continente accipitur. Aliquando Magistratus authoritatem vel potestatem appellamus imperium, vt in l. quod iussit, de re iudic. in l. 2. de adoptionib. in l. & si, de offic. eius, cui mand. in l. iudicium soluitur, de iudicijs. in l. 3. §. fin. de recept. arbitris. & pluribus alijs iuribus hoc probatur. Est enim † generalis & latissima huius verbi imperij significatio. 2

Sed in iure ciuili, & iurisdictionis tractatu, strictius multò accipitur imperium, & prout in iudice est, consideratur. Et dicitur potestas † iudicis 3
coercendi, iubendi, vetandi, vel cogendi ipsas

personas,quæ sunt in eius districtu & iurisdictiōne,lege,Senatusconsulto, vel à Principe specialiter tributa, quæ in personas, propter personam, vel propter rem principaliter exercetur. Nam in belluas imperium habere,prorsus ridiculum est, iuxtà illud Comicum. *Eo ne ferox, &c. quia imperium habes in belluas.*

4 Iurisdictio autem ab imperio † discernitur, quòd licet tam iurisdictio quàm imperium in personas exerceatur:tamen iurisdictio ex se ipsa nullam habet coercitionem vel coactionem, sed illā accipit ab imperio.est ergo iurisdictio,ciuilis causæ cognitio absque coactione,vel imperio, cui cōhæret modica coercitio : quia sine modica coercitione nulla iurisdictio explicari potest,l.1.§. fin. de offi.eius cui mand.Quæ modica coercitio, appellatur imperium,quod nō est merum:ita appellat eam Paul.Iureconf.in l. fi. de off. eius cui mād. Nam modica coercitio:quoniam coercet, vel cogit,imperium dicitur. Sed quia tale imperium iurisdictiōi cohęret,& illi accedit,& famulatur,nō potest esse merum,hoc est,purum, distinctum, & separatum à iurisdictione,cùm illi cohæreat semper.Ideò tanquam accessorium & cohærens iurisdictioni, sequitur iurisdictionis naturam & conditionem,c.accessorium,de reg.iur.vnde concessa

5 vel mandata iurisdictione, imperium † quod non est merum,sed incidens & accessorium, semper transit.l.1.§.fi.& d.l.fin.de offi. eius cui.

Nec contradicit nostræ sententiæ, quod obligatio sit iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ.quasi actiones, quæ ex obligationibus descendunt,sint misti imperij, cū in personam debitoris principaliter instituantur, vt per-

at persona debitoris obligata per iudicem, soluere cogatur id quod est in obligatione, & sic imploratur eius imperium, vt debitor cogatur eius authoritate & imperio præstare id, quod in obligatione continetur. Et tamen certum est, huiusmodi actiones non esse imperij meri, vel misti, sed iurisdictionis. vt Bart. & omnes vnanimiter volunt in d.l. imperium. & nos quoq; suo loco eas iurisdict. esse demonstrabimus.

Sed huic argumento facilis est responsio ac solutio. quoniam actionibus his personalibus nullum iussum, coactionem, vel imperium iudicis principaliter imploramus. Siquidem ijs actionibus non principaliter agitur, vt iudex suo imperio aliquid fieri iubeat, aut cogat reum. nec ad hoc principaliter imploratur eius officiũ: sed solùm petitur ijs actionibus, vt debitor condemnetur soluere, vel facere, aut dare, vel tradere id quod est in obligatione: cùm nec verbum, condemno, sua significatione vllam coercitionem contineat, vel coactionem: sed solùm adiudicationem, & iuris declarationem. ideò est iurisdictionis, licèt sententiæ executio, qua condemnatus posteà compellitur soluere, facere, dare, aut tradere id quod erat in obligatione, propter quam reus fuit cõdemnatus, sit misti imperij, quod iurisdictioni cohæret, vt nonnullis placet.

Imperium itaque dicimus esse coercitionem, iussum, † vel coactionem principaliter imploratã, à iudice. quoniam si incidenter propter causam iurisdictionis interponatur, non erit imperium merum vel mistum, aut species parata à iurisdictione ciuili: sed tanquam iurisdictionis accessorium & sequela, sequitur eius naturam, & conditionem, vt volunt gloss. in d.l.1.§. final. & in l. fin. 6

quas sequuntur & approbant Scribentes vnanimiter. ibi, & in l.2. & in l. Magistratibus. de iurisd. omnium iudic. & est hæc opinio communis certa & indubitata.

Imperium autem quod principaliter à iudice imploratur, aut est merum, aut mistum. d. l. imperium. Appellatur autem merum ad differentiam misti: quoniam misto imperio inest semper iurisdictio, hoc est, ciuilis causæ cognitio: à qua ciuili cognitione, merum imperium est purum, separatum, & distinctum omninò. & hac ratione appellatur merum: quoniam in mero imperio semper criminaliter agitur, ad coercendum & puniendũ delicta, & nusquam ciuiliter: cùm in misto imperio semper ciuiliter agatur, & ob ciuilem causam imperium imploretur, & ob id mistum sit appellatum. Et quamuis misto imperio insit semper iurisdictio, tanquam pars integralis suo toto: cùm ex imperio & iurisdictione fiat mistum imperium. tamen nomen imperij, potiùs quàm iurisdictionis retinet: & appellatur mistum imperium: quoniam causæ misti imperij, magis imperij sunt, quàm iurisdictionis, l. ea quæ, ad municipal. l. iubere, de iurisdict. omnium iudic. quia à digniori semper fit denominatio. l. quæritur, de statu hominum. Et quia iussus, coactio, vel imperium, in misto imperio principaliter imploratur, & propter illud iurisdictio. hoc est cognitio causæ, vel lis ciuiliter instituitur, & ad iussum, vel imperium obtinendum interponitur, & ad illud subordinatur iurisdictio ciuilis: meritò denominatur ab illo.

Cæterùm, quando in causa ciuili imperium non principaliter postulatur, sed venit inciden-
7 ter propter † illam, vt quando in causa ciuilis iurisdi-

risdictionis testes † nolunt venire, & sunt cogendi, vt in c. 1. & titulo de testibus cogend. & in l. si quando, C. de testibus, & quando testes vacillant, aut varia deponunt, vt sint torquendi: sicut in §. si verò ignoti. in authent. de testibus. vel si testes aures iudicis offenderint, vel si eorum voces non careant fraudis vel falsitatis suspicione, & sint coercendi, l. nullum. C. de testibus. vel quando ob rei contumaciam actor mittitur in possessionem ex primo decreto, vt in authentic. & qui iurat. C. de bonis authoritate iudic. possid. Et multò magis si in causa ciuili incidat coercitio verbalis, aut realis, vt docet Bartol. in Magistratibus, de iurisdictione omnium iudic. Hæc enim incidens coercitio, vel coactio, etsi imperium sit, (quoniam in coercitione, & coactione, vel iussu consistit imperium, vt dictum est:) tamen quia principaliter nó imploratur, sed venit incidenter ad causam ciuilis iurisdictionis, & illi accedit: ideò tale imperium incidens, non facit speciem separatam à iurisdictione ciuilis causæ cui accedit, aut distinctam ab illa : quia non est nec merum, nec mistum imperium : sed imperium incidens, quod iurisdictioni cohæret. ideò iurisdictionis naturam & nomen sequitur, & in iure hoc imperium cohærens, appellatur modica coercitio : vt iam diximus: Paulus autem appellat hoc imperium incidens, imperium quod non est merum, hoc est distinctum & separatum à iurisdictione, cui inest, tanquam accessorium suo principali, & illi cohæret. l. fin. de offic. eius cui. iuncta l. 1. §. fin. eodem titu. At de imperio genere, hæc dixisse sufficiat. Reliquum est, vt ad merum & mistum imperium transeamus. Et primò, de mero imperio tanquam digniori, quod ad faciliora punienda & coercen-

da pertinet,dicamus:deinde ad miſtum perueniemus imperium.

## De mero Imperio.

### SVMMARIA.

1 *Meri imperij communis definitio, multis modis reprehenditur.*

2 *Meri imperij definitio noua datur: & cauſæ quæ inſunt mero imperio, ſummatim referuntur, & nu me. 3.*

4 *Abſoluere reum à crimine, eſt meri imperij.*

5 *Præſcriptio non mutat naturam meri imperij: quoniam præſcribitur cum ſua cauſa. & an ſit præſcriptibile. ibidem remiſſiuè.*

6 *Animal quandoque ſententia iudicis comburi iubetur, non vt puniatur, ſed vt eo conſumpto, indigni facti, memoriam hominibus amplius non refricet.*

7 *Memoriam defuncti poteſt iudex ob crimen damnare quandoque.*

8 *Ius occidendi deſertorem militiæ, aut nocturnum graſſatorem ex legis ſola permiſſione ſiue aliqua iuriſdictione, priuatus quilibet habet.*

## CONCLVSIO IIII.

MEri imperij Bartoli definitione reiecta, nos veriorem afferemus.

Bartolus ſic merum imperium definiuit in dicta l. imperium, colum. 2. numer. 4. vt ſit iuriſdictio, quæ officio iudicis nobili expeditur, publicam vtilitatem principaliter reſpiciens. cuius

ius definitionem Iuris interpretes summa viri authoritate persuasi, sunt posteà sequuti, etsi in ea nullæ sint bonæ definitionis leges. Non enim † definitio hæc explicat naturam diffiniti: nec de quocumque finitio loquitur definito: nec conuenit finitio rei finitæ tantùm, ideò vt contra bonæ definitionis normam, & regulas sit hæc definitio. Siquidem omnis bona definitio constare debet genere magis propinquo, & proprijs differentijs. At cùm Bartol. iurisdictionem genus, diuidat in imperium, & iurisdictionem simplicem: & rursum subdiuidit imperium in merum, & mistum. ideò bonæ definitionis normam sequendo, debuit definire merum imperium per genus suum, immediatum, & magis propinquum, quod erat Imperium genus, quod continet merum, & mistum. non autē illud definire per genus remotum, summum & generalissimum iurisdictionis, vt etiam animaduertit Cur. in d. l. imperium.

Reprehenditur etiam definitio, in eo quod dicit, officio nobili expediri merum imperium, & hac qualitate, vt differentia propria, segregari à iurisdictione simplici, quæ officio mercenario, vt ipsi volunt, expeditur. Nam hæc verba, *officio iudicis nobili*, magis ad iusdicentis officium pertinent, quod in actu & exercitio consistit, quā ad iurisdictionem imperij meri, quę in habitu est, & potentia consistit, quam nos hoc loco definiuimus. Et officium definitionis est, rem, per suas causas veras, & essentiales definire: cùm vera demonstratio aut definitio, non fiat per effectus: sed per causas, quæ rei definitæ veram essentiam demonstrant.

Præterea hęc nota, officij nobilis, non eſt propria imperij, aut ſpecifica eius differentia, qua ſimplex iuriſdictio à mero imperio ſeparatur. quoniam, vt ſuperius iam docuimus, accuſatio in delictis regulariter verſatur, & ad cauſas meri imperij pertinet: nõ expeditur tamen officio nobili, ſed mercenario potius, vt ſuprà demonſtrauimus concluſ.2.num.4. ſicut etiam quando libertus ob delictum ingratitudinis, petitur redigi in ſeruitutem, quoniam ingratus erga patronum extitit. hæc cauſa proculdubio eſt meri imperij: quoniam ad coercitionẽ delicti ingratitudinis, & ad vindictam huiuſce delicti pertinet, & hoc firmat Bal. in d.l. imperium, nu.10. tamen non officio nobili, ſed mercenario, & condictione ex l.3.C. de libert. & eorum libe. hæc cauſa expeditur; ſic etiam nec publica vtilitas, proprium eſt meri imperij, aut eius differentia ſpecifica, qua miſtum à mero ſeparetur. quoniam actiones quæ deferunt in publicum, vt l. Agraria de termino moto. & l. Cornelia. §. fin. ad Sillan. & populares omnes, & quæ fiſci, vel Reipublicæ nomine, apud procuratorem Cæſaris, vel alios magiſtratus intentantur: omnes illæ actiones ſimplicis ſunt iuriſdictionis, ſecundùm Bart. & communiter Doctores in d.l. imperium: & tamen exercentur ad publicam principaliter vtilitatem. Et ęcontrà, priuata delicta, quorum coertio & Iuriſdictio, ſi criminaliter agatur, eſt meri imperij. d.l. imperium. ibi, ad animaduertendum in facinoroſos homines. quæ generaliter loquitur de omni facinore, nec diſtinguit inter publicum & priuatum delictum. ideò nec nos diſtinguere debemus, l. de pretio. de publicia. in rem actio. tamen priuata delicta, non ad publicam, ſed ad priuatam principaliter exercentur vtilitatem.

toto

toto tit. de priuat. delict. Nam ex priuatis delictis, non publica & popularis: sed priuata actio datur, & ijs dũtaxat ad quos ea res pertinet. Glo. in rub. de popula. actioni. Glo. in l. fi. de priuat. delict. Siquidem illis vt propriæ vtilitati possumus liberè renunciare, l. penul. C. de pact. l. quæritur. de edil. edicto. quod fieri haud posset, si ad publicam principaliter pertineret vtilitatem, l. ius publicum. l. iurisgentium. §. si paciscar. de pactis, notát Panor. & alij in c. si diligenti. de for. compet. etsi omnes maleficiorum coërcitiones pertinerẽt principaliter ad publicam vtilitatem, vt voluit Bart. Quare omnia delicta non appellantur publica: sed cùm alia dicãtur publica, & alia priuata, sequitur illa vtiltitate inter se esse diuersa. arg. l. si idem. C. de codicillis. Hinc colligimus, necessario officij nobilis, & publicæ vtilitat.s differentias, non esse proprias meri Imperij, aut illius specificas differentias: sed communes tam iurisdictioni simplici, quàm mero & misto imperio. Et sic meritò non recipimus meri Imperij Bar. definitionẽ. etsi cõmunis sit, sed melior à nobis est inuestigãda definitio.

Itaque merum Imperium nos sic definimus. † vt sit Iurisdictio criminalis specialiter lege, senatusconsulto, vel à Principe tributa, ad animaduertendum in facinorosos homines, & coercendum eorum delicta. Constat autem hæc definitio genere & differentijs. Nam iurisdictio specialiter tributa, genus est proprium & immediatum meri Imperij: nam immediatè prædicatur de mero & misto Imperio, & de iurisdictione ciuili specialiter tributa, vt docuimus superiùs in diuisione Iurisdictionis generis, in 2. Conc. Nec cõtradicit, quod superiùs diximus, proprium genus meri Imperij, esse Imperium genus: Nam hoc & illud, genera 2

ſunt meri Imperij immediata & proxima. At quoniam clarius & lucidius meri Imperij ſubſtantia demonſtratur per illud, quàm per Imperium genus: ideò illo potiùs, quàm hoc genere, in hac definitione vſi ſumus. & hoc genere tanquàm differentia ſeparatur merum Imperium, ab omni Iuriſdictiõe ciuili: ſiue iure magiſtratus competat, ſiue ſpecialiter tribuatur.

Ponitur etiam in hac definitione *ad animaduertendum in facinoroſos homines, coercendumq́, eorum delicta.* quibus verbis, vt propria qualitate, & ſpecifica differentia, merum Imperium etiam ſegregatur à iuriſdictione cauſarum ciuilium, ſiue iure Magiſtratus competit, ſiue ſpecialiter fuerit tributa. quoniam merum Imperium ad cauſas criminales tantùm pertinet, l. 3. l. congruit. de offic. præſid. l. ſi quid erit, ibi neque animaduertendi, coercendi, vel atrociter verberandi, legatus ius habet. & in l. ſolent, ibi, Gladij poteſtatem ſibi datam, vel alterius cuiuſcunque coercitionis. de offic. proconſ. & in l. capitalium, de pœnis. & in d. l. Imperium.

Habet præterea hæc definitio veram definitionis normam: Nam conuertitur cum ſuo definito. & nil conuenit definitioni, quòd etiam non conueniant definito: & econuersò. explicat etiam veram, & propriam eſſentiam definiti, per verba clara & minimè ambigua.

Quod autem merum Imperium ſit Iuriſdictio à lege, ſenatuſconſulto, vel à Principe ſpecialiter tributa, proculdubiò probatur in l. 1. in prin. & in §. fi. verſi. ſed merum Imperium quod lege datur. de offic. eius cui. & notant hoc vnanimiter ibi omnes Scribentes, per illum textum: Probatur etiam

exeo,quia minores Magistratus, hoc est, municipales Magistratus, non habent hoc merum Imperium,l.ea quæ,ad municipale ea ratione, quia maioribus Iudicibus specialiter fuit tributum: ideò non competit municipalib.Magistratib. probatur in l.nec Magistratus.de iniurijs. iuncta glo. in l.2. de in ius vocando. vbi minores Magistratus vocari possunt in ius.quia non habent Imperium.Nam minores Magistratus sunt, qui non habent Iurisdictionem specialiter concessam: sed iure Magistratus.glo.in d.l.2.& glo.in l.1.in verbo,Quæ verò iure magistratus. de offic. eius cui. & communiter Scrib.ibi.

Adijcitur quoque in definitione *causa finalis concessionis meri Imperij*, scilicet vt iudex,cui specialiter committitur hoc Imperium, possit animaduertere in facinorosos homines,& eorum punire delicta,& prouincias purgare malis hominibus,vt respublica in pace & quiete viuat, l.3.l.congruit.de offic.præsid. Est igitur † merum Imperium,omnium causarum criminalium iurisdictio, 3
siue per inquisitionem, siue per accusationē, siue per actionem agatur, dummodò ad coercendum, vel puniendum delictum in iudicium principaliter crimē deducatur:siue ad publicam,siue ad priuatam principaliter spectet vtilitatem. Et siue nobili iudicis officio.(quod in criminum inquisitionibus propriè versatur)siue officio misto iudicis, accusationi deseruiente,siue mercenario deseruiente actioni: ad criminis tamen vindictam propositam expediatur:modò ad animaduertēdum, vel coercendum, puniendumq; delicta principaliter interponatur officium.

Nec definitioni nostræ † contradicit. quod ab- 4
soluere

ſoluere reum poſtulatum à crimine, ſit meri Imperij, l. ſolet. verſ. vt liberet. iuncto verſ. nemo poteſt gladij poteſtatem. de off. proconſ. cùm non puniat aut coerceat delictum, qui reum abſoluit, & à crimine liberat: cõtra id quod dicebamus in definitione noſtra, merum Imperium eſſe conſtitututum ad animaduertẽdum in facinoroſos homines, aut coercendum delicta. quod non fit cùm reum liberat. Et ſic abſolutio à crimine, non continetur definitioni noſtræ. Sed reſpondemus ſatis contineri, ex quo damnandi & abſoluendi, vna eſt & eadem poteſtas, l. qui condemnare. de reg. iur. ideo vno expreſſo, aliud ex neceſſitate includitur, quod ab expreſſo non ſeparatur. Contrariorum namq; eadem eſt diſciplina. de his qui ſunt ſui vel alieni iur. in prin. in Inſt.

Similiter non repugnat huic definitioni, quòd mulcta cùm ſit pecuniaria, non habet animaduerſionẽ in corpus. toto titulo, de modo mulc. C. Ideò meri Imperij, dici non debet, quod eſt gladij poteſtas, ad animaduertendum in facinoroſos homines, d. l. imperium. Sed huic argumento facilis eſt reſponſio. Siquidem merum imperium continet omnem delicti coercitionem, ſeu pœnam, ſiue in corpus fiat, ſiue in pecuniam: & mulcta eſt pœna ſpecialis peccati, cuius animaduerſio pecuniaria eſt, vt nominatim dicitur in l. aliud eſt fraus. de verb. ſig. licèt pœna, ſit omnium delictorum coercitio, ſiue in pecunia, ſiue in corpus fiat. d. l. aliud. ideò eſt ſpecies pœnę, cuius animaduerſio pecuniaria eſt: ideò eſt de mero Imperio, & definitione noſtra continetur.

Neq; etiam contradicit definitioni, quòd præ- 5 ſcriptione † & conſuetudine, merum Imperium acquiri poteſt, vt poſt glo. notant Scribentes in l.

more.

more.de iurisd.omnium iudic. Alex. & Iaſ.in d.l. imperium. Ergo lege,ſenatuſconſulto,vel à Principe ſpecialiter non tribuitur: prout nos Imperiũ merum definiuimus: ſed reſpondemus cùm conſuetudo habeat vim legis, l.diuturna. de legib. & tacito populi conſenſu procedat, ſicut lex ex expreſſo:nec interſit,ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret,an factis & rebus ipſis,l.de quibus. de legib. meritò Imperium, quòd conſuetudine acquiritur dici poteſt à lege tributum: cùm conſuetudo inueterata pro lege habeatur.

Præterea, licèt præſcriptio acquirat ius priuatum tamen per præſcriptionẽ ius nouum nõ creatur, ſed prius creatum, & formatum acquiritur præſcriptione. vnde merum Imperium,licèt præſcribatur,non tamen præſcriptione formatur, aut creatur de nouo, ſed merum Imperium, quod ex ſpeciali conceſſione Principis, vel legis fuerat formatum, & prius creatum, acquiritur præſcriptione. Nam præſcriptio ipſa trãsfert merum Imperium, quod ex ſpeciali conceſſione Principis, vel legis fuerat tributum vni,ad alterum,cum ſua cauſa & ſpeciali conceſſione. Nec propter præſcriptionem,mutat merum Imperium ſuam naturam,aut formam, quã habuit priuſquàm præſcriberetur:hoc eſt,quãdò lege, Senatuſconſulto, vel à Principe ſpecialiter fuit tributum, nam ſemper præſcribitur cum ſua cauſa, quã ab initio conceſſionis habuit. Poſſet etiam dici merum Imperium eſſe impræſcriptibile. quoniam nõ parua controuerſia eſt apud iuris interpretes. An merum imperium ſit præſcriptibile: antiqui enim negatiuam partem: recentiores verò affirmatiuã defendẽtes, vt ferè inextricabilis ſit huius q̃ſtionis labirinth⁹.

Similiter non obſtat ſi quis dicat, quòd verba

illa

illa definitionis, *ad animaduertendum in facinorosos homines* sunt facti, & quod ipsum actum animaduersionis significant. Ergo non definiuit merum Imperium, cuius substantia ab omni cócreto segregata est, solo intellectu perspecta. Sed respódetur. Hoc nouum non esse in iure ciuili: quod politicum est, et ad mores ciuium benè instituendos, & reformandos pertinet. vt in definitionibus iurium ponantur verba actualia, factum ipsum, & actum significantia: sicut actio definitur, vt sit ius persequẽdi in iudicio quod sibi debetur. quæ verba sunt facti, de actionib. in princ. in Institutionibus. Sic & obligatio definitur, vt sit iuris vinculũ alicuius rei soluendæ, & tamen solutio facti est, l. consilio. §. fi. de curat. furios. Sic quoque tutela definitur, vt sit potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, l. 1. de tutel. & tamen tueri alterum facti est, l. vim. de iusti. & iur. vbi Bar. idem asserit, in illa quęstione, quando quis alterum tueri teneatur.

6 Nec etiam oppugnat † nostram definitionem, quod brutum animal quandoque propter hominis facinus cum bruto commissum, occidi & concremari iudicis sententia iubetur, lite criminali priùs instituta & perfecta. vt in casu. c. mulier. 15. quæst. 1. vbi occiditur pecus, ad quod mulier inhonestè accesserat. & in l. 1. si quadrupes pauper. fecisś. dicat. vbi animal datur, pro noxa quam fecerat. Ergo non in solos homines, vt definitio nostra dicit, sed etiam in belluas merum imperium exercetur.

Verùm conueniunt omnes iuris interpretes, merum Imperium nõ exerceri, nisi in corpus animatum rationale: quoniam brutum animal rationis expers, non potest delinquere, cùm nõ habeat

ani-

animum iniuriandi & delinquēdi, l.1.si quad.pau. fec. & delictum sine animo delinquendi, nō committitur. §.furtum, de oblig. quæ ex delict. in Inst. nec obstat d.caput.mulier. quoniā ibi pecus comburitur, non vt puniatur ex suo delicto: cùm nullo modo legis sit capax, caret enim sensu & intellectu, sed concremari iubetur, vt consumptum, indigni facti memoriam ampliùs hominibus non refricet. Hinc Doctores hoc modo reducūt illum textum. vt non propter facinus & culpam, sed ob memoriam sceleris extinguendam, pecus occidi & comburi iubeatur. Sic & in d.l.1.animal datur pro noxa, non vt animal puniatur, etsi damnum dedit: sed ne in plus dominus teneatur, quàm valeat quadrupes, qui damnum dedit, vel iniuriam fecit. Sicut & in seruis quoque constitutum est, qui damnum alteri (eorum domino ignorante) dederunt. l.in delictis. §.si detracta de noxal. action. Pecudibus namque serui comparantur. l.2.ad leg. Aquil.

Sic quoq; definitioni † non repugnat quòd Iudex potest ex meri imperij potestate dānare memoriā hominis defuncti, vt in perduellionis reo, l.fin.ad l.Iul.Magist. §.interdum, de hæred. quæ ab intest. cum gloss. in Instit. sicut potest ex mero suo imperio in defuncti cadauer ferre sententiam. Gloss. in l.2.arbo. fur. cæs. & not. Scribentes in l. si quis filio. §.ij autem. de iniust. testam. In hominem hoc fieri non rectè dicitur: cùm homo mortuus, non sit simpliciter homo, l.hoc legatum, de lega.3. Sed huic argumento facilè est responsum. quoniam omnes hi casus sunt speciales. Diffinitio autem procedit secundùm regulam, secundùm quam meri imperij executio, in corpus mortuum fieri prohibetur, quia morte extinguitur delictū, 7

l.de-

l.defuncto.de publ.iudi.l.fin. ad l.Iul.magist. ideò Iudex conueniri potest in syndicatu actione iniuriarum, si faceret cadauer suspēdi. l.1.§.si fortè. de iniurijs: Nec aduersatur nostræ definitioni.§. audient,in auth.de defenso.ciuit. & §.si verò ignoti.in auth.de testib. quibus iuribus probatur,defensores ciuitatum, & municipales Magistratus, habere leuiorũ criminum cognitionẽ, punitionẽ ac coercitionem, & potestatẽ imperandi ictus fustium,& torquendi testes vacillantes ad cernendã veritatem. & multò magis illos mulctandi. Quæ omnia meri imperij esse definitiõe nostra demonstrauimus. Ergò iure Magistratus competunt,non autem specialiter tribuũtur maioribus iudicibus. vnde sequitur aut illa nõ esse meri Imperij: aut si meri Imperij sunt, fateri oportet merum Imperium non specialiter esse tributum,sed iure Magistratus competere, contra nostram definitionem. Sed huic argumento respondemus.

Nos definire merum Imperium,quod erat temporibus Iureconsultorum, & quale traditur iure Digestorum & Codicis. quo iure municipales Magistratus, sicut nec ciuitatum defensores, nullam coercitionem,aut criminum punitionẽ habebant in liberos homines, nec mulctam ob crimen infligendi potestatem: solùm modica castigatio in seruos eis erat iure permissa, vt singulariter declarat Ioan.de Imola in l.4.§.duas. de dam.infect. quem sequitur Ias.in l.Magistratib.de iurisdict.omnium iudic.qui pro hac opinione adducit, l. si priuatus. qui & à quibus manu. & probatur etiam hæc opinio in d.l.Magistratib.à contrario sensu, sed constitutionibus & Nouellis Iustiniani pleraq; fuerunt nouata, & aliter quàm priùs essent constituta iure Digestorum & Codicis: sicut in d. §. audient,

audient,& §.si verò ignotj.quibus iurib' permissum fuit defensoribus ciuitatum leuiora punire crimina.quod iure Digestorũ & Codicis eis fuerat denegatum,vt dictum est.

Neque repugnat † definitioni, quod priuatus ex constitutione Principis,potest desertòrem militiæ, aut grassatorem nocturnum iure occidere, iusque animaduertendi in eum habet à lege concessum.l.fin.C.quando liceat vnicuique sine iudice se vindic. in versi.ius sibi vltionis sciant.Ergo merum Imperium competet etiam priuatæ personæ,secundùm nostram definitionem :si merum Imperium sit ius animaduertendi in facinorosos homines. quoniam hoc ius etiam conuenit priuatis hominibus,nedum Magistratibus:contrà definitionem nostram, qua maioribus Magistratibus specialiter tributum dicimus.Sed argumento respondemus. Ius illud animaduersionis concessum priuato in nocturnum grassatorem, vel militiæ desertorem, non esse Iurisdictionis: sed est quædam iuris permissio,sine iurisdictione. sicut & marito quandoque lex permittit occidere adulterum, aut furem nocturnum sibi resistentem. quoniam non ex iurisdictione & potestate publica id faciunt, cùm Magistratum non gerant, aut potestatem publicam non habeant. Ideò ex legis sola permissione, non autem ex Iurisdictione id agũt: & multo minùs ex mero Imperio,quod nos hoc loco definiuimus. 8

## GRADVS MERI IMPERII.

### Conclusio Quinta.

SEX gradibus omnes Imperij causas comprehendi,non ea ratione qua Bartolus, sed noua existimamus.

Merum Imperium quod nos definiuimus, continet sex gradus, in quibus omnes caussæ meri imperij comprehenduntur. In primo gradu, locamus omnia delicta & caussas criminales, quarũ pœna mors naturalis infligitur: veluti amputatio capitis, ad furcam damnatio, viui concrematio, & aliæ pœnæ capitales. quibus mors naturalis intelligitur. l. capitalium, de pœnis. In secundo gradu collocamus caussas meri Imperij, quarum pœna libertas & ciuitas simul adimitur: vt damnatio in metallum vel opus metalli. vel ad ludum vænatorium, vel ad remigandum perpetuo remibus, vel ad opus publicum, aut ad perpetuos carceres, & alias pœnas, quibus damnati serui pœnæ fiunt, vt in l. illicitas. §. qui vniuersas. ibi, ius gladij habent, & in metallum damnãdi, potestas permissa est. de offi. præsid. & in l. aut damna. §. est pœna, §. solet, §. quicumque. & in l. capitalium, & in l. rei capitalis. de pœnis.

In tertio gradu meri Imperij, reponimus omnes causas meri Imperij: quarũ pœna de iure est amissio ciuitatis: sicut deportatio in insulam, interdictio aquę & ignis, & similes. quibus libertas quidem retinetur, sed ciuitas amittitur. l. rei capitalis, §. 1. de pœnis. Et in istis tribus iam d. gradibus, omnes pœnæ capitales continentur. d. l. rei capitalis, & l. capitalium. de pœnis.

Quarto gradu meri Imperij, continentur omnes causæ criminales, in quibus pœna est relegatio, vel membri mutilatio, aut alia corporis acris afflictio. vt est gl. in l. nulli, Cod. de sentent. & inter l. omnium iudic. glos. in §. relegati, quib. mod. ius patriæ potesta. soluit. in Inst. Bart. in d. l. Imperium. nu. 10. vbi loquitur de pœna corporis afflictiua, allegat l. si quid erit. de offi. & proconf.

Quinto

Quinto gradu collocantur leuiorum criminũ castigationes vel pœnæ: sicut fustium ictus, ad postellum damnatio: & similes, etsi ex illis quandoque infamia irrogetur. vt etiam voluit Bart. in d. l. Imperium. nu. 11.

In sexto gradu ponimus mulctas quæ ob delictum, aut culpam, vel morum corrumptionem, à iudicibus principaliter infliguntur: quarum iurisdictio est meri Imperij, maioribus iudicibus specialiter tributa. l. fi. C. de modo multarum. voluit etiam hoc Bart. in d. l. Imperium. nu. 12.

*SVMMARIA.*

1 *Condere legem vniuersalem, & quæ Principi sunt reseruata non sunt meri Imperij. & qua ratione.*

2 *Statuta & ordinationes generales vel constitutiones, quas faciunt Magistratus, pro melius explicãda eorum iurisdictione, eius generis iurisdictionis censentur, cuius sunt causæ vel res pro quibus fiunt statuta.*

## CONCLVSIO VI.

HInc condere legem generalem, & alia quæ meri Imperij maximi, dicit Bart. & quæ in primo gradu meri collocauit: ea non esse meri Imperij ostendemus.

Ex his quæ iam diximus in definitione meri Imperij, satis colligitur & manifestum fit, condere legem vniuersalem totius Imperij: nõ esse meri Imperij, nec ad merum Imperium vllo modo pertinere posse: tantum abest vt primũ gradũ meri Imperij occupare debeat, aut merum Imperiũ maximum appellari. vt Bart. existimat in d. l. Imperium. colu. 3. nume. 8. quoniam condendæ legis 1

generalis poteſtas ſoli Principi reſeruata poteſtate continetur.l.Princeps.de legib.ſicut ſpurios legitimare, reos criminis ſententia infamatos ad famam reſtituere. vel reos poſtulatos inpunitate donare: ætatis veniam minoribus concedere: & alia multa Principi reſeruata, quæ vſq; ad triginta caſus enumerat Ludo. Roma.in d.l.Imperium. in 1.& 2.colum.& Iaſ.aliqua ponit ibi, num.24. Et ibid.Bald.quoq; ponit tria. & in l.reſcripta.C.de precib.Imper.offerend.Quæ omnia non ſunt meri Imperij, ſicut nec condere legem generalem: alioquin ſi poteſtas cõdendi legem generalem eſſet meri Imperij, ſequeretur, omnes Magiſtratus qui habent merum Imperium poſſe legem generalem condere.& tamen certum eſt prẹſides prouinciarum, præfectum vrbi, & proconſules: licet habeant merum Imperium l. illicitas. §. qui vniuerſas de offi.præſid. Bart.in d.l.Imperium. nu.7. tamen non poſſunt leges generales promulgare, vel condere: quoniam ſoli principi, ſenatui Romano & præfecti prætorio talis poteſtas data eſt. l.non ambigitur.de legib.l.normam. al. formam. C.de offic.præfecti præto.

Nec etiam poteſt condendæ legis generalis poteſtas, definitione meri Imperij rectè compreheṅdi: ſiue definitionem communem Bartoli, ſiue noſtram accipimus, ſiue Vlpia.reſponſum in d.l.Imperium.quoniam nulla generalis Principis conſtitutio, aut legis promulgatio, officiò iudicis nobili expeditur, quale enim officium iudicis verſatur, cum princeps ſua poteſtate abſoluta, legẽ generalem pro communi vtilitate ſtatuit, aut cõſtituit? Nullum profectu Iudicis officium in illis conſtituendis interuenit: nec ad publicã vtilitatem leges omnes fiunt, aut promulgantur. quod

esset necesse,secund.definitionem Bar.& communem.Nam quædam leges constituuntur vt consulant,vt in l.is qui destinauit.de rei vindic.aliæ vt doceant, vt in d.l. Imperium. aliæ vt vetent quid fieri,toto tit.ne vis fiat eis aliæ ius publicum,alię priuatorum vtilitatem principaliter respiciunt. Siquidem ius omne diuiditur in publicum & priuatum,quod ad singulorum vtilitatem pertinet. l.1.§.huius studij.de iusti.& iur.vt meritò nō possit Bart.& communis meri imperij definitio, nec nostra,cōdendæ legis generalis potestatem comprehendere.& multo minus id potest responsum Vlpian.in d.l.imperium.cùm omnes leges non puniant,aut coërceant delicta.sed aliæ iubeant,alię vetent,aliæ imperēt,vel admoueant,aut permittant. l. legis virtus, de legib.& quandoq; consulant,vt declarant DD.post Glo.ibi.

Sed leges † municipales facere,aut statuta, an sit meri imperij: vel si prætor edicta ꝑponat, aut si Iudex ordinarius circa ea quæ ad ordinem iudicij pertinent,aliquid statuat. hæc huiusmodi statuta,vel edicta an sint meri Imperij,aut cuius generis iurisdictiōis, obiter hoc loco quæritur.Placet mihi hac in re sententia Baldi in l.nulli.C.de sentent.& interlo. iudi.vt statuta eius generis iurisdictionis censeantur, cuius sunt res vel caussæ de quib. statuitur. Ideo si statutū puniat aut coërceat delictum , aut in facinorosos animaduertat: dicam tale statutum esse meri Imperij. quoniam id nullus statuere potest, nisi qui habet merum Imperium.Idem si præses, vel alius iudex,qui habet imperium merum, ordinem aliquem seruandū in lite criminis statuat:quoniam id non potest faeere nisi ex mero imperio.& quoniā id facit,vt hoc ordine melius puniat delicta : meritò ad me-

hoc ſcilicet, quòd iudicis officio nobili expediatur: à iuriſdictione verò, quòd ad priuatam vtilitaté. Sed ſi vera ſit eorum opinio, deberet imperium non miſtum appellari, ſed participiũ: ſi de vtroq; capit, & de vtroq; participat, vt ipſi volũt: nam miſti & participij ſignificatio diuerſa prorſus eſt. Miſtum enim ex diuerſis ſpeciebus compoſitum dicitur, quando cõpoſitarum ſubſtantia nõ confunditur. §. quod ſi frumentum. & ibi glo. i. de rer. diuiſ. in Inſt. Participiũ verò ſimplex, eſt ſubſtantia, nullam habens ſpecierum miſturam, aut compoſitionem: licèt qualitates capiat & mutuetur ab alijs: vt in participio verbi, quod non componitur ex diuerſis rebus vel ſpeciebus. Sed ſimplex eſt ſpecies à verbo deriuata, etſi ſignificationẽ à verbo, & à nomine inflectionẽ & genus mutuetur, & capiat. Sed quæſo quid miſtũ imperium mutuatur à mero? cùm merũ & miſtum imperiũ, præter genus quod de vtroq; prædicatur, nihil habeant commune: ſintq; ſpecies inter ſe diuerſæ, oppoſitæ ac repugnantes: ſiquidem nihil magis contrarium mero, quàm miſtum: & econtrà. Nam inuicẽ ſe expellunt & contradicunt. quoniam imperium genus diuiditur in merũ & miſtum, tanquã in duas diuerſas ſeparatas ſpecies. ideo vnaquæq; ſpecies ex ſe perfecta eſſe debet in diuiſione, & nõ indigere alterius ſpeciei auxilio, ad eius eſſentiã conſtituendã: alioquin nõ diceretur perfecta. Sequitur igitur miſtum imperium nihil accipere à mero imperio: quam enim partem miſtum imperium capere poteſt à mero, cùm omne merũ imperiũ in puniendis coercendiſq; criminibus verſetur. Miſtum verò imperiũ circa cauſſas ciuiles cõſiſtit, in quibus nullũ crimẽ, aut criminis coercitio interuenit. Ergo nõ participiũ, ſed miſtum

ideò appellatum: quoniam iurisdictio ciuilis ei semper inest, & amista est: vt probatur in d. l. imperium. ibi, mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest, suppleo ciuilis.

2 Et quamuis Bart.† & communiter. Scribentes ibi, intelligant. Iurisdictionem inesse misto, tanquam genus in sua specie, quod prędicatur de mero & misto imperio, & huic interpretationi adhæreant Scribentes communiter: tamen pace illorum dicam, non potest hæc expositio vel interpretatio vera subsistere: alioquin quod iurisdictio insit imperio, non esset proprium misti impeṛij, aut qualitas eius propria, vel specifica differẽtia, qua differt à mero imperio, vt præsupponit Vlpianus ibi, dum hac qualitate sola, tanquam propria qualitate misti, & specifica differentia separat mistum à mero. Quoniam mero imperio, nunquam inest ciuilis iurisdictio: cùm tota eius iurisdictio sit semper criminalis. Igitur iurisdictio inest misto imperio, non vt genus, sed vt propria qualitas, qua differt & separatur à mero, & quæ, velut specifica differentia, constituit speciẽ propriam & separatam à mero. Cum ex imperio genere, & ciuili iurisdictione, quæ ei inest tanquam propria qualitate, componatur mistum imperium, & ex his duobus velut ex partibus integtalibus constituatur, & ob id quoque mistũ appellatur: cũ mistam imperium secum semper habeat iurisdictionem ciuilem, quod non est in mero imperio, quod nullam habet iurisdictionem ciuilem. Sed ab illa est semper purum, disiunctum, & separatum, & ob id merum appellatum.

*SVMMARIA.*

1 *Definitio cõmunis misti imperij reprobatur: & quibus*

*bus rationibus. & num. 2.*

3 *Misti imperij noua, & vera definitio.*

4 *Modica coërcio, non est imperium merum, neq; mistum: sed imperium cohærens iurisdictioni quod Paulus appellat imperium, quod non est merum. & quæ sit illa modica coërcio. ibidem.*

5 *Iurisdictio, quæ inest misto imperio, non competit iure Magistratus: sed specialiter tribuitur. & iurisdictionis varia ac diuersa significatio. ibid.*

## CONCLVSIO VIII.

MISTI imperij Bartoli definitione reiecta. Nos veram dabimus definitionem. Oldradus in consil.110.incip.venditum castrum. Primus sic definiuit mistum † imperiũ, vt sit Iurisdictio explicandi quæstiones ciuiles, quæ sui excellentia Maioribus Iudicibus tribuũtur. Sed Bart. non contentus hac definitione, sequutus est definitionem Petri. vt sit Iurisdictio, quæ officio Iudicis nobili expeditur, priuatam vtilitatem principaliter respiciens.ait enim Bartol.mistum imperium à mero disiungi, qualitate illa priuatæ vtilitatis: cùm verum Imperium ob publicam exereeatur vtilitatem. Sic etiam Imperium separari à Iurisdictione simplici officio nobili: cùm simplex Iurisdictio mercenario iudicis expediatur. Et his duobus qualitatibus & proprijs differentijs, constituit mistum Imperium Barto. & illud distinguit à mero & iurisdictione † simplici: cuius definitionem omnes ferè iuris interpretes ita approbarũt, vt recedere ab illa difficile sit ac impossibile. Tamen quia nos hanc disputationem veritatis inuestigandæ gratia suscepimus, 1

pimus, non immeritò Bartoli definitionem, quatenus à veritate declinare inueniemus, illam impugnabimus. Nam etsi vir doctissimus Oldradus propiùs ad veritatem accesserit, quàm Petrus: tamen vtilitatis scopú pertingere non potuit. multæ enim & propè infinitæ sunt quæstiones ciuiles, quæ sui excellentia fuerunt maioribus iudicibus tributæ, quæ non sunt misti imperij, sed quartæ iurisdictionis speciei, vt suo loco demonstrabimus. vt vera esse non possit Oldradi definitio, nec Petri, Bartoli, & communis. Quoniam † hi patres, volunt mistum imperium expediri officio iudicis nobili, & hæc nota distingui à Iurisdictione simplici, quæ officio mercenario expeditur. Sed superiùs in 4. conclus. iam satis demonstrauimus, qualitatem hanc vtilitatis priuatæ esse communem omnibus Iurisdictionis speciebus, rationibus quas hic non repeto. Nam expellere re ipsa quem de possessione, & eum cogere decedere de ipsa possessione, constat apud omnes, illud esse misti imperij. l. 4. §. duas, de dam. infect. l. iubere cauere, de iurisdict. omn. iudic. & ibi notant Scribentes. Idem si interdictis prohibitorijs vel restitutorijs agatur, quibus Prætor suo imperio aliquid iubet, aut vetat fieri. §. summa autem, de interdict. in Instit. tamen certum est, iudicis officium mercenarium esse, cùm deseruiat actioni in factum, quæ competit pro his interdictis. §. final. illo tit. & de missione in possessionem, satis probatur ex l. Fulcinius. ex quib. caus. in possess. eat. Nam actione ciuiliter intentata, si reus sui potestatem non facit, mittitur actor in possessionem bonorum, & reus iubetur à possessione bonorum discedere. Siquidem hæc fædalis missio, non alia ratione à iudice discernitur, quàm vt reus huius

mis-

missionis tædio, veniat actoris libello respondere.l.si is cui,vt in possess.lega. ideò non officio nobili, quæ misti sunt imperij, sed mercenario potius explicantur. Præterea persecutio (qua imploramus officium iudicis nobile) *actionis* verbo continetur.l.actionis verbo,de act.& obliga.l. pecuniæ verbo,de verb.signif. Nam quemadmodum actio, est ius petendi in iudicio, quod nobis debetur: sic & persecutio, est ius implorandi & impetrandi officium iudicis,vt nobis decernat & ipsum,quod pertinet ad eius officium.Bart.in l.1. col.4.nu.10.vers.ista autem persecutio,est ius impetrãdi. adeò vt à denegatione huius officij, permissa sit appellatio.l.1. C.si sæpius,in integ.restit. postul.vt non possit Iurisdictio simplex hac nota officij nobilis,differri à misto imperio.

Accedit,quòd veniam ætatis concedere, naturales liberos legitimare, authoritatem emancipationibus præstare, & alia quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, ac etiam decretum in alienatione prædiorum minoris vigintiquinque annis interponere,quæ omnia misti sunt imperij, vt voluit Bart.in d.l.imperium,num.17.& 22. & tamen officio nobili non expediuntur.Et multò minus iudicium(quod actore,reo,& iudice cõstat) in his interuenit. Nam quæso quale officium iudicis versatur in danda ætatis venia, aut in faciendo naturales legitimos: cùm solus Princeps illa faciat, & non magistratus. & quale iudicium aut litis contestatio, interuenit in authoritate præstanda emancipationibus, & in alijs quæ sunt voluntariæ Iurisdictionis,aut in alienatione prædij minoris,in quibus nõ officium iudicis, in quo requiritur litis contestatio,& sentẽtia ritè & solemniter lata.c.fi.de offic.iud. & ibi notant Scribentes. sed

in causis voluntariæ Iurisdictionis, sola authoritas iudicis desideratur,&non iudicium. Nam per transitum in balneum, & alijs in locis extra iudicium, expediri possunt. §.serui verò de liberti. in Instit. non sunt igitur illa imperij, aut si misti imperij sunt, fateri necesse est, mistum imperiũ, non semper nobili officio expediri. Accedit etiam, quòd datio tutoris, expediaur officio iudicis nobili ad priuatam vtilitatem.: & tamen non non est misti imperij, vt probatur eleganter in l. muto.§.tutoris datio, de tutel. vbi dicit Vlpianus, dationem tutoris, neque Imperij, neque Iurisdictionis: sed ei soli competere, cui lex, Senatusconsultum vel Princeps specialiter concessit: nec recipienda est interpretatio glossæ ibi, quæ vt de Aureliana dicitur, vitiat textum.

Neque etiam vera esse potest, illa differentia priuatæ vtilitatis, qua volunt ipsi, mistum imperium, à mero distingui & separari : quoniam si domus Titij, loco publico minetur ruinam, & Respublica, eò quòd noluerit cauere Titius, in possessionem domus Titij mittatur, misti est imperij, authoritate Bartoli: & probatur in d.l. iubere cauere, de iurisdict. omn. iudic. & tamen non ad priuatam, sed ad publicam fit vtilitatem: scilicet loci publici, cuius vtilitas est publica. l. 1. §. huius studij, de iusti. & iur. Idem si Ecclesia in possessionem mittatur, aut in integrum restituatur. Hæc enim fiunt principaliter ob publicam vtilitatem, & sunt misti imperij. d. l. iubere cauere. vt subsistere non possit communis definitio. Superest vt nos aliam definitionẽ misti imperij hoc loco afferamus.

3 Nos itaque mistum † imperium sic definimus, Iurisdictio ciuilis maioribus iudicibus specialiter

ter tributa, quæ propter iussum, coactionem, vel imperiū iudicis, principaliter interponitur. Hæc definitio omnibus suis partibus constat. genere scilicet, & differentijs. Nam iurisdictio specialiter tributa genus est, quod prædicatur de mero, & misto imperio, & de quarta Iurisdictionis specie specialiter tributa, & nulli imperio mista. Ponitur autem in hac definitione verbum, specialiter, vt excludat simplicem Iurisdictionem, quæ iure Magistratus competit, vt suo loco ostendemus. Nam cùm in istum imperium specialiter tribuatur, vt volunt gloss. communiter approbatæ in §. iusiurandum, in verbo, iurisdictione, in Authen. de defenso. ciuita. gloss. in l. placet, in verbo, ex officio. C. de ped. iud. gloss. in l. nec magistratibus, de iniur. quæ dicunt mistum imperium maioribus magistratibus specialiter fuisse tributū. Quæ opinio communiter recipitur, & ad Scribentibus approbatur, in l. 1. de offic. eius cui. Consequens est, vt iure Magistratus non competat. Nam contraria sunt, & repugnantia, iure Magistratus competere, & specialiter esse tributum. Benè igitur separatur mistum imperium à iurisdictione simplici, quod hæc iure Magistratus competat: illud autem specialiter sit tributum.

Segregatur etiam mistum imperium à mero, illa qualitate, & propria differētia, quod mistum circa causas ciuiles versatur: merum autem, circa criminales.

Postremò, mistum imperiū discernitur à quarta iurisdictionis specie, specialiter tributa illa differentia & qualitate: quoniam mistum imperium solùm pertinet ad illas causas ciuiles, quatum lis principaliter ordinatur ad obtinendūm præceptum, iussum, vel coactionem à iudice: hoc est,

est, eius imperium: & propter quod iurisdictio principaliter interponitur, & principaliter ordinatur. Nam aliæ causæ ciuiles, etsi maioribus iudicibus specialiter sint tributæ: si tamen propter imperium, iussum, vel coactionem iudicis implorandi, lis principaliter non instituitur, non sunt misti imperij: sed quartæ speciei iurisdictionis specialiter tributæ, quæ non inest imperio, aut illi est admista, sed est species prorsus diuersa & separata ab imperio, & simplici iurisdictione, quæ iure Magistratus competit. vt sunt omnes causæ & quæstiones status, quæ specialiter tribuuntur maioribus iudicibus: nec iussum iudicis vel imperium postulant. l. non distinguemus. §. Iulianus, de recept. arbitr. & datio tutoris. l. muto §. tutoris datio, de tutel. & omnes aliæ causæ merè ciuiles, quæ iure actionis in iudicio tractantur, excedentis summam trecentorum solidorum: quarum iurisdictio ciuilis non inest imperio, nec propter imperiũ interponitur, vt misti imperij esse possint. sed sunt quartæ species iurisdictionis: vt suo loco inferiùs fusiùs ostendemus, quam quartam iurisdictionis speciem declarabimus.

Hæc autem nostra definitio omnes bonæ definitionis leges continet. nam clarè explicat naturam definiti, & nullum est mistum imperiũ, quod hac definitione non comprehendatur, quæ benè conuertitur cum suo definito.

Superest, vt singulas partes definitionis veras esse iure probemus. Et in primis, quòd mistum imperium non competat iure Magistratus, sed ob sui excellentiam maioribus iudicibus specialiter sit tributum. tenent communiter Doctores, in l. 1. de offic. eius cui. & gloss. ib. ac probatur in l.

ea

ea quæ.ad municip.vbi,ea quę sunt misti imperij, Magistratus municipales facere non possunt. Ergò iure Magistratus,non competunt:alioquin Magistratus municipales ea facere possent,iuxta glo. in d.l.1.in verbo, quæ verò iure Magistratus. de offic. eius cui. hanc sequuntur Scribentes communiter.

Quod autem mistum imperium versetur solùm circa causas ciuiles,& hac de causa differat à mero imperio ,probatur in d.l.iubere cauere,de iurisd.omn.iud.in l.ea quæ. ad municip.in l.4.§.duas,dę dam.infect. Nam causæ omnes ibi annumeratæ,sunt ciuiles, & misti imperij,vt volunt omnes. probatur etiam ab enumeratione causarum misti imperij,quas ponit Barto.per sex gradus,in d.l.imperium,à num.17.vsque ad num.22.quarum nulla criminalis est,sed omnes sunt ciuiles. etiam probatur ex responso Vlp.in d.l.imperium, versi. mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest, tanquàm pars integralis suo toto:nec separari potest ab imperio illa iurisdictio, cùm ex imperio genere,& iurisdictione ciuili,quæ imperio inest, fiat mistum imperium,quod à digniori & principali fuit denominatum.

Quibus differat mistum imperium à quarta specie iurisdictionis iam diximus. Nam causæ huius quartæ speciei iurisdictionis, non postulāt iussum,vel præceptum, aut aliud imperium principaliter- nec subordinantur ad illud,prout fit in causis, quæ sunt misti imperij, quæ principaliter intentantur propter iussum,coactionem,& imperium obtinendum à iudice. Nam finalis causa, & scopus causarum , quæ sunt misti imperij, est, vt iudex imperet,iubeat,aut vetet,vel cogat suo imperio aliquid fieri,vel nō fieri eius imperij, quod

ciuiliter à iudice petitum est.

Definitionem nostram oppugnare videtur tex. in l.1.§.fin.& l.fin. de offic. eius cui. in quibus iuribus scriptum est, mandata iurisdictione priuato, imperium quod non est merum transire. Ergò mistum imperiũ: quoniam non sunt nisi duæ species imperij, merum & mistum d.l.imperium, nec est dabilis tertia species imperij, vt etiam Fulgosius subtiliter perpendit in d.l.fin. igitur si mistũ imperium transit mandata iurisdictione, sequitur illud non esse specialiter tributum, sed iure Magistratus competere, per regulam l.1.de offic. eius cui. Ergò falsa nostra definitio, qua dicimus mistum imperium esse specialiter tributum. Sed facilè est responsum: quoniam illa iura, non loquuntur de hoc misto imperio, quod nos hic definimus: sed coërcitione modica, quæ iurisdictioni cohæret, vt probant illa iura in illis verbis, *quoniam sine modica coërcitione iurisdictio nulla est.* Et ita gloss. ibi declarat illa iura. & in l.2. & in l. magistratibus, de iurisdict.omn.iudic.& ibi Bartol.& communiter Doct. quæ quidem modica coercitio, non facit speciem iurisdictionis, aut imperij, quia non est neque merum, neque mistum imperium: sed est modica coërcitio, quæ cohæret iurisdictioni, & sine qua vlla iurisdictio explicari posset. & cùm sit tanquàm accessorium, & sequela iurisdictionis ciuilis cui cohæret, sequitur etiam naturam illius, tanquam sui principalis, & reputatur eiusdem generis vel speciei iurisdictionis, cuius est causa, cui modica coercitio accedit. Ergò aliud est imperium merum, alium imperium mistum: & aliud imperium, quod non est, neque merum, neque mistum: sed est accessorium illius iurisdictionis cui cohæret, quod non

facit

facit speciem iurisdictionis: sed vt accessorium, sequitur naturam iurisdictionis causæ cui accedit. siue causa sit iurisdictionis simplicis, siue iurisdictionis ciuilis specialiter tributæ. quoniam omni iurisdictioni ciuili cohæret hęc modica coercitio: ideò non appellatur merum vel mistum imperium, sed imperium quod iurisdictioni cohæret, quod in iure appellatur modica coercitio, quæ semper famulatur iurisdictioni, & appellatur aliquando imperium quod non est merum: hoc est, non separatum aut distinctum à iurisdictione, cui perpetuo cohæret. quoniam sine illa modica coercitione, vel sine vllo imperio, quod merum non est: nulla iurisdictio explicari posset. d.l.1.§.fi.& l.fi. Ideò non cõtradicunt illa iura definitioni nostræ.

Quæ autem sit illa modica coercitio, aut imperium quod non est merum. declarat Barto.in l. magistratibus, de iurisdict.omn.iudi. ibi quoque Alexand.Ias.& Ludouic.Roman.Paul.de Castr.in d.l.1.§.fin. sed Roman.in d.l.magistratibus, nu.3. in illo articulo, an leuis coercitio sit meri, vel misti imperij, eleganter distinguit, cuius distinctio admodum singularis est, & à paucis adhuc animaduersa. ita vir ille summus ac doctissimus distinguit. ait enim, aut coercitio modica principaliter interponitur ad vindictam publicam, vt delicta puniantur, & est meri imperij: aut interponitur ratione alicuius priuatæ vtilitatis. & tunc subdistinguit. dicẽs, aut coercitio illa principaliter imploratur, vt quando petitur missio ex primo decreto. & tũc quia principaliter coercitio illa modica, vel coactio imploratur à iudice, est misti imperij: de qua loquitur l.iubere, de iurisdic. omn.iud.& l.ea quæ, ad municipal. aut verò coer-

citio illa modica incidenter venit in causa merè ciuili, an tuendam, vel iuuandam iurisdictionem ciuilé iudicis. & tunc tanquam accessorium & illius generis, iurisdictionis & gradus, cuius est causa cui accedit. & hæc coercitio non facit speciem iurisdictionis: sed tanquam accessorium, sequitur naturam sui principalis.

Etiam videtur definitioni nostræ repugnare text. in d. l. imperium, in versic. mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest. cùm in iure iurisdictio accipiatur pro illa, quæ competit iure Magistratus. Ita enim accipitur iurisdictio in l. 1. in vers. cùm abest iurisdictio à præsente demandetur. & ibi notat gloss. Nam iurisdictio relata ad imperium, accipitur à Scribentibus nostris, pro iurisdictione quæ competit iure Magistratus. Ergò mistum imperium, cui hæc iurisdictio inest, quæ iure Magistratus competit: non potest dici specialiter esse tributa. cùm iure Magistratus competere, & specialiter esse tributum, sint cōtraria, & penitùs repugnantia d. l. 1.

5 Sed huic argumento † respondemus. Iurisdictionem illam, quæ inest misto imperio, non esse illam, quæ iure Magistratus competit: alioquin mistum imperium competeret etiam municipalibus Magistratibus. quod falsum esse probatur ex responso Vlpia. in l. ea quæ ad. municipal. & in l. nec magistratib. de iniur. & est communis Scribētium opinio & indubitata. sed illa iurisdictio, quæ inest misto imperio, est iurisdictio specialitér tributa à Principe, vel à lege. ideò non competit iure Mcgistratus, nec Magistratus municipalibus fuit concessa: sed præsidibus, & alijs iudicibus maioribus reseruata. Nec verum est iurisdictionis nomen, ad solam iurisdictionem, quæ iure Ma-

re Magistratus competit pertinere, quoties opponitur imperio. Nam (vt superiùs demonstrauimus) iurisdictionis generis quatuor cùm sint species seu genera, merum & mistum imperiũ, simplex iurisdictio, quæ iure Magistratus competit, & iurisdictio ciuilis specialiter tributa, quæ imperio non inest. ideò illa iurisdictio, quæ inest imperio, licèt sit ciuilis, tamen non competit iure Magistratus, sed specialiter tribuitur, & propter imperium principaliter interponitur: ideò appellatur mistum imperium: Et licèt quandoque in iure iurisdictio, pro subiecta materia capiatur, strictè pro illa, quæ iure Magistratus competit, vt in d.l.1.versic.cùm aliàs iurisdictio à pręsente demandetur. vbi tractatur de causis, quæ possunt delegari. Meritò itaque subiecta materia hoc admittit, imò necessariò desiderat illam interpretationem: tamen pluribus alijs in locis iurisdictionis significatio latior est, prout subiecta materia suadet. & probatur hoc in d.l.1.& verbo.& sic.quæ aliæ sunt similes, iurisdictionem suam mandant. vbi iurisdictio sumitur, pro mero imperio. & in l.2.de offic.procons. iurisdictio ibi accipitur pro voluntario. & sic diuerso modo, pro subiecta materia accipitur.

*SVMMARIA.*

1 *Misti imperij non sunt, quæ soli Principi sunt reseruata.*

2 *In concessione meri & misti imperij, non veniunt ea, quæ misti imperij maximi dicit esse Bartolus.*

CONCLVSIO IX.

HINC Bartoli misti imperij maximi, gradû meritò reprobamus.

Inquit Bartol. in d. l. imperium, colum. penult. num. 17. quoddam esse mistum imperium
1 † maximum, quod non potest expediri, nisi per solum Principem: sicut dare veniam ætatis, interponere: authoritatem arrogationi, vel emancipationi infantis, aut legitimationi ex principali rescripto factæ. omnia hæc officio nobili expediuntur ad priuatam vtilitatem. ideò misti sunt imperij inquit Bartolus. Cuius sententiam sequuntur communiter Scribent.

Sed pace dicam tanti viri, si hæc non possunt nisi per solum Principem expediri, vt cum Bartolo sentit communis iuris interpretum schola, quomodo erunt misti imperij, aut alterius speciei iurisdictionis: cùm iurisdictio ad solos magistratus pertineat, vtpote à Principe data: in Principe nō cadit illa distinctio iurisdictionum, quę in magistratibus consideratur. Siquidem in Principe omnia illi competunt ratione supremæ potestatis, quæ est absoluta & indiuisa in ipso Principe, vt etiam animaduertit Philipp. Deci. in d. l. imperium, colum. 10. colum. 54. non enim in Principe est iurisdictio cum necessitate iurisdicendi, sed est tota absoluta & libera. l. Principe, de legibus.

2 Hoc probatur etiam † alia ratione. quoniam si Princeps concedat alicui in feudum territorium cum mero & misto imperio: certum est in hac inuestitura non comprehendi ea, quæ Bartol. dixit esse imperij misti maximi. cùm illa sint Principi reseruata, quæ non veniūt in tali concessione vel inuestitura, vt notat Philip. Dec. in d. l. imperium, colum. 10. nume. 54. 55. Nec repugnat quod Comi-

tes

tes Palatini ab Imperatore vel Summo Pontifice creati, possunt ex potestate speciali illis tributa, legitimare spurios, creare Tabelliones, & facere quæ sunt supremi misti imperij, vt not. Innocent. in c. cùm p. tabellio, de fide instrument. Quoniam etsi regalia, & quæ Princeps sibi reseruauit, possit ipse Princeps illa specialiter concedere alicui, & creare Comites Palatinos, vt voluit Innocent. in d. c. cum p. tabellio. & ibi Scribentes. tamen si illa quæ conceduntur à Principe non continent in se iussum, coactionem, vel coercitioné realem, aut personalem: in quibus, vt dictum est superiùs in 3. conclus. num. 3. consistit mistum imperium, etsi ad publicam vel priuatam vtilitatem interponantur: & siue plenam habeant causæ cognitionem, siue semiplenam, non erunt misti imperij. quoniam à quo remouetur imperium genus, quod in coercitione, iussu, vel coactione cósistit, omnes eius species quoq; remoueri necesse est. sed erunt quartæ speciei iurisdictionis à Scribentibus adhuc non animaduersæ. Qua ratione, nec comprobatio rescripti legitimationis, vel arrogationis, aut ætatis veniæ concessionis, & aliarum causarum, quæ misti imperij dicit Bartolus facienda â iudic. misti imperij esse potest, etsi à iudice fiat, ex eius ordinaria iurisdictione, rescripto Principis excitata, cũ in illis causis nulla coercitio, iussus, vel coactio à iudice principaliter imploretur, sine quibus imperium merum vel mistum esse non potest. Nec etiam si principale rescriptum ex causis iam dictis impetratum, non esset excitatiuum ordinariæ iurisdictionis iudicis, ad quem rescriptum dirigitur, sed sit delegatorium: adeò vt iudex non ex ordinaria sua iurisdictione; sed ex potestate delegata, & ex

delegâtis authoritate solùm procedat in illa causa sibi delegata. etiam tunc causa illa non esset misti imperij: cùm ex illa coercitio, iussus, vel coactio principaliter non imploretur: sed erit quartæ speciei iurisdictionis specialiter tributæ, vt dicam suo loco.

## SVMMARIA.

1 *Misti imperij non est cognoscere de viribus sententiæ, vel arresti, ob supplicationem.*

## CONCLVSIO VII.

QVA ratione etiam Bartoli gradũ misti imperij maioris improbamus.

Dicit Barto. in d. l. imperium, colum. penult. nume. 18. quòd mistum imperium maius est, cognoscere de viribus sententiæ ob supplicationem, quæ potestas soli Principi & Præfecti prætorio competit. & sequuntur Bartolum communiter Doctores. sed cùm hæc cognitio principaliter non fiat propter præceptum, iussum, coactionem, vel coercitionem aliquam imperij: sequitur illa non esse misti imperij. quoniam à quo remouetur imperium genus, omnes eius species remoueri quoque necesse est. Quæ enim coercitio, aut iussus principaliter postulatur in supplicatione. Nam in illa solùm postulatur & agitur, vt lis, sententia terminata, repetatur, & iterum causa iudicetur, Authent. quæ supplicatio. C. de precib. Imper. offeren. & nulla lege reperitur expressum, vt hæc potestas sit misti imperij: & erubescimus sine lege loqui. l. illam. C. de collatio. Quinimò si Princeps concederet alicui
1 merum & mistum imperium, certum † est ex hac con-

concessione, non transire potestatem cognoscendi per supplicationem de viribus sententiæ, aut arresti: quia hæc potestas sub mero vel misto imperio non continetur. nam si contineretur proculdubiò veniret l. si quid earum. §. interemptū, de legat. 3. quoniam generalibus semper specialia insunt. l. semper, de reg. iur. Prætereà, cùm cognitio per supplicationem ad euersionem sententiæ, tendat & ad eius rescisionem, & in eius supplicationis cognitione, lis seu processus repetitur omninò, & renidetur: vt meritò cognitio huius supplicationis, censeri debeat eiusdem generis iurisdictionis, cuius erat causa iam arresto decisa. & in Gallia hæc remissio, seu litis repetitio noua, ex Christianissimi Regis edictis, debet fieri apud eosdem iudices, à quibus fuit iudicatum.

## SVMMARIA.

1 *Datio bonorum possessionis, quæ ius tribuit, non est misti imperij, sed simplicis iurisdictionis. & num 2. Item quare sit magis simplicis, quàm imperij, dicitur num. 5. & 6.*

3 *Merum & mistum imperium, alij definire, alij per exempla declarare voluisse Vlpianum in d l. imperium, existimarant.*

4 *Dictio*, etiam, *posita in d. l. imperium, in versic. cui etiam iurisdictio inest. quid implicet. ibid. & nume. 6.*

7 *Declaratio noua & vera ad l imperium. & quomodo legenda sit litera illius responsi Vlpia, num. 8.*

## CONCLVSIO XI.

QVA etiam ratione miſtum imperium paruum, quod quarto gradu locauit Bartol. iure reprobamus.

Ait Bartol. in d. l. imperium, nume. 20. miſtum imperium paruum eſt, illud quod fit cum plena cauſæ cognitione: licèt non habeat coercitionem realem, vel perſonalem: vt dare bonorum poſſeſſionem, quæ ius tribuit, pronunciare de mittendo in poſſeſſionem ex ſecundo decreto. interponere authoritatem in alienatione prędiorum minoris, aut in tranſactionibus alimentorum. Cuius opinionem ſequuntur communiter Doctores. ſed pace eius dicam, quomodo erunt miſti imperij, ſi coactionem realem vel perſonalem (vt ipſe autumat) non habent? Cui imperio erunt miſta, ſi nullum ſit imperium? Nam ſuprà in octaua concluſ. num. 3. demonſtrauimus, imperium miſtum eſſe, cui iuriſdictio ineſt. quod in iuſſu, præcepto, coactione, vel coercitione conſiſtit. Igitur ſi non ſunt miſti imperij, quomodo erunt miſti parui? Nam à quo remouetur totum, ſingulas eius partes remoueri quoque neceſſe eſt. Ergò nec magni nec parui, aut alterius gradus miſti eſſe poſſunt, ſi miſti imperij non ſunt. attamen miſſionem in poſſeſſionem, quæ fit ex ſecundo decreto in cauſa damni infecti, vel noxali, miſti imperij eſſe non malè dixeris. cùm poſt primum decretū fiat, & propter peruicacitatem & contumaciam inobedientis iuſſui iudicis, & imperij magiſtratus principaliter interponatur. Vt fuſiùs ſuo loco demonſtrabimus.

Sentencia Bartoli, quoad bonorum poſſeſſionem, confirmari videtur ex Vlpian. reſponſo in d. l. imperium, in verſicul. quòd in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit, per quod Iaſ. in l. 1. colum.

2.in explicatione glossæ in verbo. *bonorum*. de iurisdictione omnium iud. Dicit, mirandum esse, quod tantopere ibi glo. laborauerit ad probandũ dationem bonorum possessionis esse misti imperij. cùm (inquit) sit de hoc textus expressus in d.l. imperium. Vbi mistum imperium dicitur esse, ꝙ in danda bonorum possessione consistit. secundũ communem intellectum hactenus receptum, & ab scribentib. approbatum.

Sed pace eius dicam, id minimè probari aut elici potest ex illo textu: imò potius totum oppositum. Nam vt Bartol. & Doctor. communiter volunt. l. imperium. non solùm de mero & misto imperio: sed etiam de iurisdictione simplici tractat per exempla. quamuis Ange. ibi, & nonnulli, existiment in illa lege definiri merum & mistum imperium per suas essentias, & quiditates, propter verbum substantiuum ibi positum, essentiæ significatiuum, quo vsus est Vlpianus in illa lege. quæ opinio fortasis verior, & rei aptior est: etsi communis sit in contrarium.

Ideo siue definitióibus Vlpianus sit vsus in illa lege, siue exemplis: vtroque casu verum est dationem bonorum possessionis ex illo respõso nõ esse misti imperij, sed iurisdictionis simplicis potius: próut & ratio ciuilis. & imperij significatio demonstrat. Siquidem in illa lege Vlpianus doceret † voluit, siue exemplis siue definitióibus, quid sit merũ imperium, & quid mistum. ideo ait, Imperium aut merum, aut mistum est. Merum imperium, est habere gladij potestatẽ ad animaduertẽdum in facinorosos homines, quod potestas appellatur. Deinde vt declaret quid sit mistum, inquit, Mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest. Hæc profectò elegans breuis, & essentialis 2

 descri-

descriptio, aut definitio misti per suam essentiã, & propriam differentiam qua mistum à mero imperio separatur. Siquidem nulla alia ratione differt à mero, nisi quod misto inest etiam iurisdictio ciuilis, cùm merum imperium nullã habeat
4 ciuilem Iurisdictionem, sed criminaliter semper agatur, & ad criminis vindictam. Vnde † decipitur Accursius interpretatione illorum verborũ, dum existimat, dictionem *etiam* implicare ibi merum imperium quia imò implicat imperium genus, quod prædicatur de mero & de misto, & inest misto tanquam genus in sua specie. Nam implicare non potest merum imperiũ, quod est species aduersa & opposita misto: ideò implicat imperium genus, & explicat iurisdictionem ciuilẽ, quæ etiam inest huic imperio: & qua velut propria differentia mistum imperium à mero distinguitur, & separatur. Hæc dixisset sat sit pro declaratione illius vers. mistum imperium est, cui etiã iurisdictio inest, qui mẽtes iuris interpretum hactenus torsit.

Reliquum est vt ad institutam quæstionem reuertamur. Cuius decisio pendet à declaratione & iusto intellectu d. vers. quod in danda bonorum possessione consistit. quem Bart. & communiter Scribentes interpretantur de misto imperio. volentes, vt exemplum misti imperij scripserit Vlpianus ibi. Vnde comprobatum iam est, & pro
5 maxima à Scribentibus receptum, dare † bonorũ possessionem quæ ius tribuit, esse misti imperij. Idque probant ex d. l. imperium in illo vers. quod in danda: quoniam aliunde id probare non possunt. Sed bene intelligentibus & rectè discutientibus, & perpendentibus, verba illius legis, nihil minùs probant quàm illud ad quod allegantur.

imò

imò probant magis oppositum. Siquidem si nos illum vers. referamus ad mistum imperium, vt dictio *quod*, ibi posita sit, relatiuum substantiæ misti imperij: sequetur ex hoc necessaria conclusio, quod omne mistum imperium in danda bonorum possessione consistit: nec vlterius progredietur. Nam relatiuum *quod*, subiunctum generi sine copula, restringit ipsum genus, & generalem dispositionem præcedentem, ad id quod disponitur in oratione, cui relatiuum adijcitur. l. 3. §. ea tamen adiectio de leg. 3. Bartol. in l. omnes populi colum. 1. in 1. oppo. de iustit. & iure & ibid. Ias. num. 19. & in l. 1. C. de summa trinit. Ex quo sequeretur totum misti imperij tractatum, in danda bonorum possessione, concludi. quod quàm sit falsum & absurdum, imò ridiculum, nemo est qui non videat.

Sed quoniam hoc argumentum eos nimis premebat: vt illud tãquam scopulum vitare possent, ad aliud confugiunt, dicentes in illo vers. vnum duntaxat exemplum poni misti imperij, & relatiuum ibi impropriari, & cum exempla non restringant regulam, ideò omne mistum imperium non in sola bonorum possessione concludi: sed multa præterea continere. Sed quæso quis hanc mentem Vlpiani eis reuelauit, aut vnde illam colligunt isti: non quidem ex natura relatiui, cuius natura est restringere, vt dictum est. Præterea nulla ibi præponitur nota exempli significatiua, aut similitudinis aduerbium, quod præponi debet, & solet exemplis: sicut dictiones, *vt*, *vti*, *sicut*, *sicuti*, *velut*, *veluti*, & similes, quæ certè Vlpianus apposuisset, si exempla ponere voluisset. nam & facere hoc ei erat facilè, si exemplũ misti ponere voluis-

voluiſſet. Accedit noſtræ ſententiæ quod alia erant indubitata miſti imperij exempla, quæ Vlpianus adieciſſet, ſi exempla miſti imperij ſcribere voluiſſet: ſicut iuſſus de cauendo prætoriâ ſtipulatione, & miſſio in poſſeſſionem ex 1. decreto, quæ proculdubio ſunt miſti imperij. l. iubere cauere de iuriſd. omnium iud. & in l. ea quæ. ad municipal. quæ exempla extra omnem controuerſiã ſunt miſti imperij, quibus potius vſus fuiſſet Vlpianus, ſi exempla miſti ponere voluiſſet. & in quibus miſtum imperium ſplendet, & perſpicuum fit omnibus. Nam melius erat Vlpiano ex illis exemplum ſumere quæ extra omnem diſputationem miſti ſunt imperij, quàm ex datione bonorum poſſeſſionis exemplum quærere, quæ nullum imperium poſtulat: aut iudicis præceptum, iuſſum, vel coactionem, etiam incidenter, cùm non detur inuito bonorum poſſeſſio l. 3. §. inuito. de bonorum poſſeſſio. & in qua agnoſcenda iudex nihil facit aut decernit. Sed ſolam ſui præſentiam exhibet in iudicio. vt docet Barto. in l. 1. col. 3. num. 4. de iuriſd. omnium iudi. & in l. fin. C. qui admitti. vnde non immeritò gloſſ. in d. l. 1. de iuriſ. omnium iud. in verbo *bonorum* tantopere laborauit, in probando dationem bonorum poſſeſſionis eſſe miſti imperij. Præterea, ſi ille verſ. qđ in danda, referatur ad miſtum imperium prout referunt omnes Scribentes. quæſo ad quæ referemus verba ſequentia *Iuriſdictio eſt etiam iudicis dãdi licentia*, definieturne † ex illis verbis iuriſdi-
6 ctio ſimplex, aut verò illius ponentur exempla.

Si exempla, vt communiter volunt Scribẽtes. quare dixit, *Iuriſdictio eſt*. quod verbum ſubſtãtiuum, non conuenit exẽplis, ſed definitioni ſub

ſtantiæ

ſtãtiæ eſt proprium. Item particula *etiam*,quid implicabit ibi,nónne erit ſuperflua.ita vt non cõueniat neque definitioni, neque exemplis,aut cõgruè illis deijciatur.

Alia igitur mentis Vlpiani † explicatio,melior ac verior inueſtiganda eſt. dicamus igitur illud reſponſum *quod in danda*,non referri ad miſtum Imperium, nec illius eſſe exemplum,aut ſubſtantiam:ſed eſſe ſimplicis iuriſdictionis exemplum, & fuiſſe poſitum cum alijs ſequẽtibus exemplis, vt cum.l. iubere. ad maiorem declarationem & explicationem miſti Imperij. Nam cùm Vlpianus deſcripſiſſet Miſtum Imperium, eſſe imperium,cui etiam iuriſdictio ineſt,ſupple ciuilis: ſed quoniam præciſa nimis erant illa verba, ne ſua breuitate obſcuritatem parerent, voluit comparatione earum rerum,vel cauſarum,quæ iuriſdictionis ſimplicis ſunt, & nulli miſcentur imperio,monſtrare & declarare veram miſti naturam & propriam eius eſſentiam,quaſi per oppoſitionem:quoniam oppoſita inter ſe poſita magis elucefcunt. Ideò poſtquam definiuit, miſtum imperium eſſe,cui iuriſdictio ineſt. ſtatim ſubiungit duo exempla ſimplicis iuriſdictionis, quæ per ſe extat nulli imperio admiſta:ſicut eſt datio bonorum poſſeſſionis,& delegatio: in quibus explicãdis nullum imperium,iuſſum,vel præceptum iudicis deſideratur, aut coactio interuenit. Sed explicantur ſola iuriſdictione , ſine imperio aut coërcitione.Deinde Vlpian.ad maiorem expreſſionem & declarationem miſti imperij,& vt efficaciùs monſtraret eius naturam,& participationem,quam habet cum iuriſdictione, immediatè poſt d.l.imperium,ſubiungit reſpóſum. l.iubere

cauere.

cauere. in quo ponit duo exempla misti imperij, in quibus iussus iudicis, vel coactio, ciuiliter & principaliter imploratur. & propter imperium ciuilis cognitio vel iurisdictio interponitur, qa inest imperio: quod non est in danda bonorũ possessione. nam eius cognitio vel iurisdictio, licèt ciuilis sit: tamen nõ subordinatur ad iussum coactionem, vel imperium iudicis cõsequendam. sed propter ipsam dationem bonorum possessionis expeditur, sine aliquo iussu, præcepto, vel coactione iudicis. cùm non detur inuito. l.3. De bonorũ possess. Sicut etiam dare iudicem, non continet aliquod præceptum, iussum, vel imperium iudicis: sed in sola delegatione & ciuili iurisdictiõe consistit, iure Magistratus competente. l.1.§. quæ vero de offi. eius cui.

Secundùm hunc intellectum cui applaudit litera, cessant omnes absurditates & verborum interpretationes ad illum textum quas alioquin necesse est facere, sequendo communem intellectũ. Sed tenendo hunc verum & germanum intellectum ad illam legem imperium, quem nos sequimur: manifestum fit ex illo responso Vlpiani, dationem bonorum possessionis, siue ex decreto iure digestorum, siue sine decreto iure Codicis detur, non esse misti imperij? sed iurisdictionis simplicis, quæ nulli imperio est mista.

Et tenendo hunc † intellectum & veram declarationem ad illud Vlpiani respõsum. punctus positus in illo respõso immediate post verbũ *consistit*, abradendus est ibi. & ponẽdus est post verbum *iurisdictio*. hoc facto, omnia in illo responso sunt clara, congrua, & manifesta, & stabunt in sua propria significatione verba, & sententia erit illæsa.

illæsa. & legendum est responsum legis iubere, coniunctim & continuatiuè cum d. l. imperium, hoc modo: imperium aut merum aut mistum est. merum imperium est, habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines: quod etiam potestas appellatur. Mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest. quod in danda bonorum possessione consistit, iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia, supple iurisdictio est, & non misti imperij. quod verum esse probat Vlpianus ex l. iubere cauere. quam immediatè subiunxit, ponendo exempla misti imperij, in iussu de cauendo prætoria stipulatione, & immittendo in possessionem rerum actorem, contra eum qui ad iussum iudicis cauere noluit: aut alias contumax est, & præcepto iudicis inobediens, aut latitans, vt ad primum vel secundum decretum necesse sit iudicem peruenire. In quibus exemplis misti imperij, clarum fit ac manifestum, iurisdictionem, seu ciuilem cognitionem, quæ inest imperio, propter iussum, coactionem, & imperium iudicis, principaliter interponi, & subordinari ad illud. quod nõ est in iurisdictione simplici, aut alia ciuili, quæ non inest imperio, aut illi mista est. sicut delegatio aut bonorum possessionis datio quæ ad nullum imperium subordinatur, sed per se extat, & propriam habet cognitionem ab imperio separatam.

*SVMMARIVM.*

1 *Misti imperij non sunt omnia quæ officio nobili expediuntur, & summariam cognitionem desiderant.*

CONCLVSIO XII.

QVA

QVA ratione etiam quintum gradum Bartol. misti imperij iure repellimus.

Ait Bartol.in d.l.imperium,nu.21. Quintò est mistum imperium minus, vt ea quæ iudicis officio nobili expediuntur,& summariam cognitionem requirunt.& illa inquit ipse, possunt demandari,l.cognitio,§.vt bonorum, de offic. eius cui.& sequuntur eum communiter Doctores.Sed quamuis ea quæ in d.§.vt bonorum continentur, proculdubiò sint misti imperij. d. l. iubere cauere.de iurisd.omnium iud.& l.ea quæ. ad municipal.tamen multa sunt, quæ officio nobili expediuntur,& summariam cognitionem requirũt,quę tamen non sunt misti imperij:vt summaria cognitio, quæ fit à iudice in causa alimentorum inter patrem & filium.l.penult. de his quæ sunt sui vel al.iur.l.si quis à liberis,§. si vel parens,de liber.agnos.& in controuersia & lite à & tertio instituta, super pignore capto in causa iudicati : cuius cognitio est summaria.l.à Diuo Pio.§.si super rebus. ibi, summatim eos cognoscere debere. de re iudic. cum similib. in quibus nullus iussus, nulla coactio,vel coërcitio, aut imperium à iudice imploratur. 1 Ergo non sunt misti † imperij, tametsi officio nobili expediantur ,& summariam cognitionem desiderent:sicut nec ea quæ in quinto gradu misti imperij collocauit Bart.

*SVMMARIVM.*

1 *Misti imperij non sunt, quæ sexti gradus misti imperij esse voluit Bartolus.*

CONCLVSIO XIII.

QVA ratione etiam sextum gradum Bartoli misti imperij,reprobamus.

Sexto

Sextò inquit Bartol.in d.l.Imperium,num.22. est mistum imperium minimum,in quo continentur ea, quæ expediuntur officio iudicis nobili absque causæ cognitione.vt interponere authoritatem manumissioni, vel emancipationi, & similibus,quæ fiunt & competunt iure Magistratus.§. audient.§.nulla.in authent.de defens.ciuitat.Hæc Bartol.cuius sententiam comprobant Scribentes communiter. Sed quæso quale imperium, iussus, vel præceptum, in his causis à iudice principaliter imploratur?aut cui imperio ciuilis cognitio mista est? aut quod mistum imperium esse potest, in his quæ nullam habent cognitionem causæ,vel controuersiam? Sed in volentes & consentientes iudex authoritatem suam solùm interponit.hæcne dicentur esse misti imperij, etsi nullam habeant causæ cognitionem, aut iurisdictionem ciuilem,quæ insit imperio,vt ei misceatur, & sine qua imperium non potest esse mistum,vt fusiùs docuimus superiùs conclusione 8.nume.3. In definitione † misti, erunt ergo hæc omnia alterius 1
speciei iurisdictionis,quàm misti imperij: Nam neque specialiter tribuuntur, sed iure Magistratus competunt, vt volunt communiter Doctor. post Bartol.at gloss. in l.fina. per illum textum., in verb. *vel legibus*. C.de emanc.probatur etiam in l.final.C. de Magistratibus municip. & in l. magistratum, de adopt. & in l. final.C. eodem titul. Ideo misti imperij esse non possunt secundùm nostram definitionem, cùm mistum imperium specialiter tribuatur,nec competat iure magistratus.

*SVMMARIA.*

1 *Appellatio est eius generis iurisdictionis, cuius est causa, quæ in appellatione tractatur.*

## CONCLVSIO XIIII.

QVa ratione etiam fit, vt iurisdictio quæ circa appellationem exercetur, misti imperij esse non possit.

Concludit Bartol. in l. 1. §. solet. nume. 3. quando appellandum sit. causas appellationis esse misti imperij. Sequitur Alex. in d. l. imperium. num. 33. & Bald. in rubric. de offic. delegat. & in l. eos. in princip. & in l. cùm post. C. de adoption. ea sola ratione, quia officio nobili ad priuatam expedit vtilitatem adiecta etiam hac causa, quia appellationis causa delegari non potest, authen. Ad hæc. C. de iudicijs. Quæ sententia Scribentium maiori calculo comprobatur. ego autem non possum illorum sententiæ subscribere: quoniam nullus iussus, nulla coactio, vel aliud imperium iudicis in causa appellationis imploratur: quinimò, vt placet Bartol. in l. 1. colum. penul. num. 4. de appel. appellatio non est neque actio, neque officium iudicis, neque exceptio, sed quoddam ius per se definitum, quod vocatur *appellatio*. Ergo nó erit misti impeirj etiam seruata communi definitione misti imperij: cùm officio nobili non expediatur. Quamobrem Rapha. Cuman. in d. §. soleat. scribit appellationem esse generis eiusque iurisdictionis, cuius est causa, quæ in app. tractatur: cùm per appellationem non mutetur causæ qualitas, & appellationis iudex in locum iudicis, à quo substituatur, l. cùm apud Sempronium. iudicat. solui. cuius sententiam amplectitur Iaf. in d. l. imperium, nume. 29. & Ludou. Roman. ibidem nume. 10. per text. in argum. in l. 1. an per alium causę

appellat.

appellat.reddi poss. Qua ratione Ias.in d.l.imperium,nume.30. voluit, (quamuis ausus non sit firmare)causas nullitatis sententiæ,esse eiusdem generis iurisdictionis, cuius erat causa, in qua fuerat iudicatum nulliter. Cui sententiæ nos quoque stipulamur,

## SVMMARIA.

1 *Datio tutoris non est misti imperij, & reprobatur opinio Bar.& communis.*

2 *Declaratur text.in l. ius dandi. & l. muto §.tut. datio,vt non contradicant.*

3 *Magistratibus municipalibus lex quadam specialiter etiam illis concessit. declaratur gloss. & communis illa sententia, quòd omnia qua competunt Magistratibus municipalibus, competunt iure Magistratus.*

4 *Datio tutoris specialiter fuit à lege tributa.*

## CONCLVSIO XV.

QVa ratione ius dandi tutorem misti imperij esse non potest.

Bartol. in l.1. nume.6. de iurifcon. omnium iudicum, cum quo transeunt communiter Scribentes ibi. & in l.1. de officio eius cui. & in d. l. imperium. vult ius dandi tutorem, quando facultates pupilli excedunt quingentos solidos, esse misti imperij maioris, certis iudicibus specialiter concessi, l. 1. de tutor.& curator. datis. Si verò facultates pupilli sint infra dictam summam, esse misti Imperij minoris: quoniam Magistratibus municipalibus competit, l. ius dandi. de tutor.& curator. datis ab his. ideo omni casu est misti imperij.quoniam vt ipse ait,semper

officio nobili ad priuatam vtilitatem expeditur, hæc Bart.

1 Sed hanc rationem † & misti imperij Bart. definitionem, optimo iure superiùs reprobauimus conclusione 8. nume. 1. & 2. ideo ex illa, nec argumentum aut probatio valida sumi potest. Sed cùm imperium mistum in iussu & coactione iudicis consistere iam docuerimus: quomodo ius dandi tutorem poterit esse misti imperij: cùm nullus iussus, vel præceptum, & coactio iudicis in dando tutorem principaliter imploretur? Prætereà extat Vlpiani elegans responsum in l. muto. §. tutoris datio. de tutel. quod negat expressè, ius dandi tutorem misti esse imperij. Nam inquit ibi Vlpianus, datio tutoris neque imperij est, neque iurisdictionis, sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel senatusconsultum, vel Princeps. Igitur si non est imperij, quomodo erit misti. Nam à quo remouetur genus, singulas eius species remoueri quoque necesse est, l. si quid earum. §. interemptum. de legat. 3. At quamuis gloss. in d. §. tutoris datio, velit contrarium, tamen eius interpretatio est prorsus absurda, & contra mentem Iurisconsulti, & rationem in text. expressam, quæ vult dationem tutoris ideò non esse neque imperij neque iurisdictionis: quia ei soli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel senatusconsultum, vel Princeps: quasi dicat, ius dandi tutorem non competit, neque ratione imperij meri vel misti, neque ratione iurisdictionis simplicis, aut ex eius concessione: sed præthereà desiderat specialem permissionem vel cóncessionem nominatim à lege, senatusconsulto, vel à Principe factam.

Accedit quod Vlpianus author illius §. tutoris

toris datio. quandò significare vult aliquid esse misti imperij, vtitur hac periphrasi, vt dicat ea magis imperij esse quàm iurisdictionis. vt in l.iubere cauere. de iurisdict. omnium iudic. Sicut & Paul.in l. quæ.ad municipal. qua credendum est vsum fuisse etiam Vlpianum in d. §. tutoris datio, si dationem tutoris esse misti imperij dicere voluisset. Vnde melius loquitur gloss. in l.1.in verb. *dare poterit.* de tutor. & curator. dat. ab his quam ibi sequitur Alberic. nume. 2. & in d. §. tutoris datio. Bald. quoque ibi, ac Bellon. libr. 1. supputationum, cap. 2. atqui sint illi quibus ius dandi tutores iure Digestorum specialiter fuerat tributum, refert Iureconsultus in d.l.1. & in §.sed hoc iur. in Instit.

Sed nostræ conclusioni † contradicere videtur text.in l.ius dandi.de tuto. & cura.dat.qui dicit,ius dandi tutores, datum esse omnibus Magistratibus municipalibus, adeoque iure nos vti affirmat Vlpianus ibi. ergo iure Magistratus competit, quoniam quæ municipalibus Magistratibus.competunt, iure Magistratus tributa censentur secundùm gloss.& Doct.communiter in l.1.de offic.eius cui Ergò non specialiter tribuitur.contra tex.§.tutoris.cui ex diametro contradicere videtur text.in d.l.ius dandi ob quam repugnantiã, licèt illa duo iura habeant eundem authorem Vlpianum.pro reconciliatione eorum iurium laborarunt glossæ & nostri Doct.vsque ad sanguinem. siquidem glo.in d l.ius dandi. soluit contrarium, vt scilicet iussu pręsidishoc possint municipales, quandò non sunt magnæ pupilli facultates: non autem ex eorum propria iurisdictione. per §. sed hoc iure.de Attil.tuto.in Inst. quod tamen nõ placet Doctoribus nostris hac ratione, quòd iussus 2

Præsidis hoc loco magis excitet, quàm donet iurisdictionem, aut deleget illam. Ideo distinguendum censent cum Bartolo, An facultates pupilli excedant quingentos solidos, & tunc procedat §. tutoris datio. infra verò illam summam procedat. l. ius dandi. quasi iure Magistratus competat per §. nos autem. de Attil. tuto. & in hac sententia resident Scrib. magis communiter.

3 Ego aũt semper † existimaui illa duo Vlpiani responsa, non cõtradicere: sed vnũ per aliud explicari & declarari debere, iuxta regulã, l. non est nouum, de legib. vt indistinctè dicamus, siue facultates pupilli excedant quingentos solidos, siue non excedant, ius dandi tutores datum esse omnibus Magistratibus municipalibus, non iure Magistratus, vt nostri existimant: sed nominatim & specialiter à lege, iuxta textum in d. §. tutoris datio. vbi nominatim dicitur, dationem tutoris competere, non ratione imperij vel iurisdictionis: sed quia specialiter & nominatim fuit à lege, senatusconsulto, vel Principe tributum. Nec huic interpretationi contradicit l. 1. de offic. eius cui. & quæ ibi post gloss. notant communiter Scribentes, qui dicunt, illa competere iure Magistratus, quæ municipalibus Magistratibus fuerunt concessa, at econuersò illa, quæ non fuerunt municipalibus Magistratibus concessa, intelliguntur tributa specialiter maioribus Magistratibus. vnde aut datio tutoris, non conuenit municipalibus Magistratibus, aut si competit necesse est iure Magistratus competere. Certum autem est ius dandi tutores, Magistratibus municipalibus competere, d. l. ius dandi. saltem quando pupilli facultates non excedunt quingentos solidos. §. penult. de Attil. tut. in Institu. & Docto. communiter. Ergo

saltem

ſaltem iſto caſu iure Magiſtratus competere fateri neceſſe eſt.

Fortiſſimum profectò & indiſſolubile argumentũ, ſi vera eſſet illa concluſio quæ in argumento aſſumitur pro maxima, vt omnia quæ competunt Magiſtratibus municipalibus, competant iure Magiſtratus. Sed quoniam falſa eſt illa concluſio: ſequitur concluſionem quoque, quę ex illa infertur, eſſe falſam. Nam gloſſ. in d.l.1. in verbo, *quæ verò iure Magiſtratus*. de offic. eius. ex qua ſumitur illa maxima, non debet ita generaliter accipi, vt nihil prorſus cẽſeatur ſpecialiter eſſe conceſſum Magiſtratibus municipalibus, quoniam aliqua ſunt quæ lex ſpecialiter conceſſit illis: verum eſt, quod regulariter & communiter competunt iure Magiſtratus, quæ municipalibus Magiſtratibus fuerunt conceſſa. Nam pauca ſunt, quæ ſpecialiter illis fuerunt tributa: cùm omnia ferè iure Magiſtratus illis competant. Siquidem nulla eſt tam generalis regula, quæ in aliquo non vitietur. hoc eſt, exceptionem aliquam patiatur. Ideò gloſſ. & communis ſententia intelligi debet ſecundùm ea quæ communiter fiunt, l. nam ad ea. de legib. Non autem iſta generaliter, vt in omnibus caſibus ſit perpetua, & in nullo varietur. lex enim ratione quadam ſpeciali, nonnulla conceſſit ſpecialiter etiam Magiſtratibus municipalibus, ſicut in l.1.§.l.4. duas. de damn. infect. vbi iuſſus de cauendo in cauſa damni infecti, & miſſio ex primo decreto municipalibus Magiſtratibus, à prætore mortuo, ſpecialiter fuerunt conceſſa: ſicut & cauſa reſtitutionis in integrum. in l. final. C. vbi & apud quem. & ius dandi tutores fuit quoque Magiſtratibus municipalibus ſpecialiter tributum, d.l. ius dandi. iuncta l. muto,

§.tutoris datio.de tutel. quarum vna per aliam interpretatur & declaratur. Nam in d.§. tutoris datio. Vlpianus author illius paragraphi, ac etiam l.ius dandi. generaliter & indiſtinctè definit, dationem tutoris ſpecialiter tribui à lege, ſenatuſconſ. vel à Principe: nec diſtinguit an facultates pupilli, ſint ſupra vel infra quingentos ſolidos: ergo nec nos diſtinguere debemus, l.de pretio.de public.in rem act. Sed generaliter debemus illum §.intelligere, de quacunque tutoris datione, ſiue à Magiſtratibus municipalibus, ſiue à Præſide, & alijs maioribus iudicibus detur vt ſit omni caſu ſpecialiter tributa, proptdr diſpoſitionem illius §.tutoris datio. & hanc declarationem ſentit glo. in l. 1. in verbo, *dare poterit.* de tuto. & curato. dat.quam Alb.Bald.Caſt. & alij nonnulli ſequuntur & approbant.

4 Quòd autem datio † tutoris, generaliter & indiſtinctè, ſpecialiter tribuatur, voluit Bal.in d.l. 1. in verſ.in glo.quę incipit, *hoc eſt*, vbi firmat Doctores dicere, dationem tutoris propriè loquendo, non eſſe miſti imperij, ſed eſſe ſpecialem commiſſionem factam à lege, quæ eſt alia & diuerſa à miſto imperio.idem Paul.de Caſtr.ibi, nu.4.verſi. reſpondeo, ſpeciale hoc caſu eſt fauore pupillorum.idem ſentit Ioan.Fab.de Artil. tuto.in princ. in Inſtitut.colum. 3.in verſi.ſed id clarius. Hoc etiam voluit & probat Fulgoſ.in l.1.de offi.eius cui. colum.2.num. 13. & 17. Hanc etiam opinionem defendit Dec.ibid.nume. 46.vt proculdubiò ſit concludendum dationem tutoris fauore pupilli indiſtinctè & generaliter, ſpecialiter fuiſſe tributam à lege, etiam Magiſtratibus municipalibus fauore pupillorum.

S V M-

SVMMARIA.

1 *Iurisdictione concessa vel delegata priuato, transeunt omnia, sine quibus iurisdictio explicari non possit: etsi maiora sint expreßis, aut alterius generis iurisdictionis, vel gradus, & quare. nu. 8.*

2 *Incidenter competunt maiora expreßis.*

3 *Incidenter potest iudex minor ordinarius, vel delegatus, testes vacillantes torquere, aut aliàs illos coercere pro veritate eruenda, etsi principaliter id nõ poßit.*

4 *Procurator generalis potest in consequentiam generalis mandati ea facere, quæ requirunt speciale mandatum.*

6 *Iudex minor vel delegatus, non potest pœna corporali coercere nuntios vel executores, qui causas instructas ei afferre cessauerunt. & quare.*

7 *Reseruata Principi, non transeunt incidenter, sed speciale & expressum requirunt mandatum.*

8 *Iurisdictio Ecclesiastica non venit incidenter ad causam secularis fori.*

## CONCLVSIO XVI.

MAndata iurisdictione simplici, transeunt maiora expressis, etiam alterius generis vel gradus, sine quibus iurisdictio explicari non posset. quod ordinaria iurisdictione concessa, multò magis procedere defendemus.

Hæc conclusio probatur ex † l. 2. de iurisdi. omnium iudic. vbi generaliter & indefinitè, ac per modum regulæ dicitur, ei cui iurisdictio data est, ea censeri cõcessa sine quibus iurisdictio data explicari non pòssit. quæ dispositio secundùm com- 1

munem intellectum, habet locum tam in iudice delegato, quàm in ordinario. at dispositio illius legis non distinguit, an sint maiora expressis, aut alterius iurisdictionis, prout Bartolus ibi voluit distinguere, ergo nec nos distinguere debemus. l. de pretio. de Publici. in rem actio. & ratio à Iureconsulto ibi expressa, includit omnia indefinitè, sine quibus iurisdictio explicari non possit. siue maiora sint, & alterius generis iurisdictionis vel gradus. Quinimò in d. l. 2. illa quæ intelliguntur tacitè concessa, necesse est esse alterius generis iurisdictionis, vel gradus, quàm sit causa delegata, vel iurisdictio data, quoniam concessa iurisdictione simplici à Principe, omnia quæ sunt iurisdictionis simplicis ex hac concessione, expressè transeunt: non autem subintelliguntur, sed exprimuntur expressa voluntate, & principali dispositione. Ideò illa quæ tacitè intelliguntur concessa, quoniam sine illis data iurisdictio vel delegata, explicari non posset, sunt alterius generis iurisdictionis, quàm sit illa quæ datur aut delegatur iurisdictio. alioquin non tacitè accederent, sed expressè dicerentur concessa. Ideò veniunt etiam maiora expressis, etsi sint alterius generis iurisdictionis, vel gradus. quam conclusionem defendit generaliter procedere Philip. Dec. in d. l. 2. num. 26. & 27. pro qua allegat tex. in l. 2. C. de reb. cred. Per quem Bartolus ibi, voluit arbitrum posse incidenter cognoscere de eo quod principaliter nō posset. Adde text. in c. prætereà. c. suspicionis, & c. ex literis, de offic. delegat. Vbi generalius & expressius hoc deciditur. Quæ conclusio multis iuribus & rationibus confirmatur.

2 Primùm ex regula † l. quoties, C. de iudicijs. l. 1. C. de ordine iudicior. quæ iura volunt, cum qui

ex iu-

ex iurisdictione ordinaria vel delegata, de causa simplicis iurisdictionis cognoscit: si quæstio status incidat, posse incidenter cognoscere de illa, etsi principaliter non posset: quoniam, nisi de illa cognosceret, non posset causam minorem iudicare, & sic transeunt maiora expressis. Sic etiam quãdo ciuilis incidit in criminalem, vt not. Bart. in l. interdum. 2. §. qui furem. de furtis. & Paul. de Cast. in l. solemus. §. latrunculator, de iudic. igitur veniunt maiora expressis alterius generis vel gradus.

Secundò probatur hæc conclusio ex l. 1. §. fina. & l. fin. de offic. eius cui. vbi mandata iurisdictione priuato, imperium quod non est merum, mandatum etiam videtur. & sic imperium qđ cohæret iurisdictioni.

3 Tertiò probatur ex §. si verò ignoti, in authen. de testib. & in l. nullum, C. de testibus, vbi incidenter potest ordinarius vel delegatus, testes vacillantes torquere, aut aliàs coercere pro veritate eruenda, etsi principaliter non possit. Probatur etiam hæc conclusio in l. fina. ibi, vel in alijs speciebus inciderit quædam quæstio restitutionis, C. vbi & apud quem. & in c. penultim. de restitutio. in integ. in quibus iuribus, Magistratus municipales possunt incidenter cognoscere de causa restitutionis in integrum: licet sit misti imperij. l. ea quæ. §. Magistrat. ad municip.

4 Quartò à simili † hoc probatur, quoniam procurator generalis in consequentiam generalis mandati, & velut incidenter, potest ea quæ requirunt speciale mandatum agere. not. Barto. in l. cum procurator. de operis noui nunciatione. & in l. indebitam, de condict. indebit. c. qui ad agendum, de procuratoribus, lib. 6. Sic quoque procurator constitutus ad extraiudicialia, potest incidenter tra-

ctare

ctare iudicialia, quando sine illis extraiudiciaria expediri non possent, not. Bart. in l. non cogendū, §. fin. de procur. per illum text.

Quintò, quoniam instituto seruo hærede, tacitè intelligitur data libertas. quoniam sine libertate institutio effectum habere non posset, de hæred. instituend. in princip. in Institutio. Et tamen libertas præcisior est omnibus rebus, l. libertas, de regul. iur. & est inæstimabilis, l. naturalis, §. fin. de præscript. verb. Sicut etiam ex sola promissione vsurarum dotis, intelligitur dotis promissio tacitè facta: quoniam sine dotis promissione, non potest dotis vsura deberi, vt not. Bald. in l. 2. post gloss. C. de dot. promiss. Non mirum igitur, si iurisdictione concessa vel delegata priuato, veniant maiora expressis, alterius generis iurisdictionis vel gradus.

5 Nec obstat conclusioni † nostræ, Bartoli consideratio in d. l. 2. de iurisdict. omnium iudic. cui visum est absurdum, quod maior iurisdictio & nobilior, inclinet & seruiat minori. Nam hoc facit ratio incidentis: quoniam accessoriè & incidēter fiunt, propter ciuilem iurisdictionem. quo casu accessorium sequitur & assumit naturam sui principalis, nec propriam retinet. c. accessorium, de reg. iur. & l. cum principalis, de regul. iuris. quasi in vnum corpus compactum. argum. l. eum qui ædes, & l. rerum mistura, de vsucapion. vbi res mobilis, accedens immobili, perdit propriam naturam, assumens rei immobilis (cui accedit) naturam. ideò non præscribitur, vt res mobilis, triennio: sed decennio, vt immobilis. Siquidem accessorium amittit propriam naturam, vt sumat alienam, eius scilicet cui accedit, vt vna & eadem res censentur, principale & eius accessorium, Gloss. singularis in c,

in c.penultim.in verbo,incidenter,de restitut. in integr. Vbi hoc notant Scribentes. Sed conclusionem nostram fortiter oppugnat text. in §. si verò etiam,in vers. si datus sit ab aliquo administratore,ad illum renunciare,à quo datus est, vt deducatur ab illo corporaliter:hoc est per citationem realem. Igitur delegatus non potest ibi incidenter iubere personam capi,vt exhibeatur:sed deleganti renunciare debet,vt hoc faciat.falsum ergo est, quod dicebamus in delegatum transire omnia, sine quibus,ac præsertim maiora.Riminald.in d.l.2. de iurisdict.omnium iudic.colum.10.dicit speciali iure hoc fuisse ibi constitutum, propter dignitatem hominis, cuius ratione multa singulari iure sunt constituta,l.iustissimè,de ædil. edict. l. in pecudum fruct. de vsur. Nam citatio realis respicit personam,& circa hominis corpus explicatur, & speciem quandam seruitutis habet: & sic meritò non transit,præsertim in dato iudice, de quo propriè loquitur ille textus:cùm nostra conclusio loquatur in mandata iurisdictione priuato: quoniã multa transeunt cum vniuersitate,quæ particulariter transire non possunt.l.quædam.de acquiren. rer.dom.l.quia perinde,ad Trebel. & in mandato generali latior deprehenditur voluntas, quàm in particulari.

Rursum allegatur ille text. in d. §. si verò etiam in eo,quod Scribentes volunt ex illo textu,delegatum non posse mittere in possessionem causa rei conseruandæ, quod est misti imperij: & ideò non transit delegata iurisdictione. Sed illud non benè colligitur ex illo textu, quia hoc delegato ibi nòn prohibetur, sed potius permittitur prout Deci. rectè perpendendo animaduertit in dicta l.2.

Con-

Conclusioni nostræ aduersari videtur §. si verò ignoti, in auth. de testib. vbi delegatus non potest etiam incidenter, torquere testes ignotos vacillantes. Sed illud ibi non ea ratione contingit, quod sint maiora expressis: sed quia delegatus erat in vna causa, ideò non habebat apparitores, per quos posset torquere vacillantes testes. ideò implorat prę sidis auxilium, vt illos torqueat. sicut Ecclesiasticus brachium seculare. c. 1. de off. ordin. & huic sententiæ accedit Fulg. in d. l. 2. licèt Riminal. ibi dissentiat.

6 Huic etiam conclusioni † contradicere videtur. l. 2. C. de sportul. vbi minor iudex vel delegatus, non potest incidenter pœna corporali coercere nuncios vel executores, qui cessauerunt instructas causas eis afferre. sed referre ad maiores iudices debent, qui eos exuant militia, & pœnas luāt corporales. Sed solùm permittitur delegato ibi eos militare, vsque ad tres solidos. & remouere nuncios ab executione: sed maiores pœnas imponere corporales, nec minor iudex, nec delegatus possunt. Non quidem ea ratione, quòd incidenter non possint maiora expressis. sed quia in d. l. 2. coercitio non erat ibi necessaria, ad explicationem causæ delegatæ. Siquidem, sine illa punitione tarditatis, potuit iudex ordinarius vel delegatus procedere in causa delegata, vel ordinaria. quoniam coercitio corporalis de qua ibi, non erat necessaria pro explicatione ciuilis causæ delegatę. nec incidenter fit ad illam causam: sed vt executorum malitia) qui cessauerant instructam causam iudici afferre) puniretur. & sic principaliter fit ad vindictam publicam, & est meri imperij. cum coercitio quæ incidenter fit, pertineat ad priuatam causæ vtilitatem, d. §. si verò ignoti, vt sentit Riminal.

in d. l. 2. colum. 8. Igitur coercitio corporalis ibi non erat necessaria ad explicationem iurisdictionis. & sic meritò non transit. Sicut & in l. 1. §. solent. de offic. præf. vrb. vbi iudex inferior, qui non habet merum imperium, cogitur ad præfectum vrbi remittere tutores vel curatores, qui malè in tutela vel cura versati, grauiori animaduersione indigent, quàm vt sufficiat eis suspectorum infamia, quoniàm coercitio non erat ibi incidens, aut incidenter necessaria pro explicatione ciuilis causæ. Sed ad vindictam criminis publicam principaliter interponebatur, nec veniebat incidenter propter iurisdictionem. Non mirum si cogitur remittere ad præfectum vrbi: cùm minor iudex non habeat imperium.

Hæc nostra conclusio,† vt incidenter transeat maiora expressis, fallit in his quæ sunt Principi reseruata, quoniam illa in dubio non intelliguntur tacitè concessa, sed requirunt specialem notam, & voluntatem expressam Principis, nec transeunt incidenter. ita singulariter limitat Panormitanus in c. prudentiam, in §. sextam, numer. 4. in versicul. in prædictis, & ex textu notab. de offic. iudicis delegat. & probat c. quod translationem, de offic. legat. 7

Secundò etiam limitatur, † quando illa quæ incidenter veniunt, erant fori Ecclesiastici: quia illa nunquam transeunt incidenter ad causam secularis fori. c. lator. qui filij sint legitimi. c. tuæ. de procuratorib. l. omni innouatione, de Episcop. & cleric. & tenent omnes Scribent. tam iuris ciuilis, quàm Pontificij. 8

De

## De gradibus misti imperij.

*SVMMARIA.*

1 *Restitutio in integrum occupat primum gradum misti imperij. Et qua ratione.*

2 *Restitutiones in integrum in Gallia solus princeps concedit per cancellariam: vel procancellarios in prouincijs.*

3 *Misti imperij quæ sunt causæ, quæ in secundo gradu reponuntur. & quæ in 3. num. 4.*

## CONCLVSIO XVII.

Causas misti imperij, tribus gradibus distribuendas rectiùs, quàm sex gradibus censemus.

1 Vt in primo gradu † collocentur causæ omnes restitutionis in integrum, siue à minore vigintiquinque annis petantur, & ex quacumque causa restitutio postuletur, aduersus rem iudicatam, vel contractum, dotem, donationem, translationem, solutionem, præscriptionem, aut propter aliam causam. quia omnis in integrum restitutio est misti imperij, & maioribus iudicibus iure Digestorum specialiter fuit tributa, l. ea quæ, ad municipal. licet Iustiniana constitutione, magistratibus municipalibus competat, de qua in l. fin. C. vbi & apud quem. cognitio in integrum restitut. agatur. vbi post Gloss. declarant Scribentes. Sed nos iurisdictionis naturam illam perquirimus & inuestigamus, quæ fuit tempore Iureconsultorum, & antè Iustiniani Imperatoris constitutiones: siquidem tunc alia fuit, quàm nunc forma & status iurisdictionis: nam multa innouauit Iustinianus suis Constitutionibus & Nouellis. Sed nos in

in primo gradu, ideò in integrum restitutiones reponimus. quoniam per ea, ex iustis causis maioribus, vel minoribus, aduersus summum & rigorosum ius succurritur, & dispensatur. & resplendet in his restitutionibus quædam maiestas iudicis, & quasi absoluta potestas cernitur. vt meritò occupet primum gradum. Namque tam magna in his restitutionibus suspicitur maiestas, vt in Gallia, nisi † ipse grauissimus Rex, per eius Cancellariũ, 2
aut procancellarium, in prouincijs possit in integrum restituere.

Secundò gradu locamus † eas causas, in quibus 3
iussus de cauendo prætoria stipulatione, aut de possidendo bona rei seruandæ, aut dotis seruãdæ, aut legatorum seruandorum causa, principaliter in iudicio postulatur. Ex quibus missio in possessionem subsequitur aduersus eum, qui prętoris iussui renuit obędire. quoniam hæ causæ sunt misti imperij, & specialiter tributæ iudicibus maioribus. l. iubere cauere, de iurisd. omn. iud. l. ea quæ ad municip. vbi notant Scribentes, ideò in hoc secundo gradu eas locamus.

Tertiò gradu apponi † debent causæ, quibus 4
ob rei contumaciam necesse est iudicem peruenire ad primum & secundum decretum: hoc est, ad coactionem ex edicto. l. Fulcinius. §. 1. quibus ex causis in possess. eatur. quæ coactio missionis in possessionem, tam ex primo quàm secundo decreto, est misti imperij. Vt post Bartolum volunt Scribentes communiter in dicta l. iubere cauere. num. 3. Alexand. & Ias. ibi numer. 10. & 11. Paul. de Castr. in l. si finita, §. si plures, numer. 14. & est communis opinio, vt attestatur Ias. in dicta l. iubere cauere, numer. 10. & huic sententiæ minimè contradicit, quod iure Digestorum Magistratus municipales

F pos-

possunt etiam iubere, vt caueatur prætoria stipulatione.l.1.de damno infect. Nam iure singulari id à prætore constitui necesse fuit, quia res damni infecti celebritatem desiderat, & periculosa erat dilatio, vt necessè fuerit municipalibus Magistratibus hoc etiam committere, vt nominatim dicitur in illo textu.& sequuntur vnanimiter Scribentes. Et casus singulares non sunt trahendi ad consequentiam, l.quòd verò contra.de legib. cùm regula sit contraria.

## De simplici Iurisdictione.

### SVMMARIA.

1 *Iurisdictionis simplicis communis definitio reprobatur.*

2 *Delegare causas, est iurisdictionis simplicis proprium.*

3 *Iurisdictio simplex ad priuatam, & ad publicam quandoque expeditur vtilitatem.*

4 *Iurisdictionis simplicis noua & vera definitio.*

5 *Iure magistratus, quæ causæ competant.*

### CONCLVSIO XVIII.

SImplicis iurisdictionis definitione Bartoli & communi reiecta: nos veram definitionem & nouam dabimus.

1 Petrus & Bartolus † hic definiunt iurisdictionem simplicem, esse illam, quę officio iudicis mercenario expeditur, priuatam respicientem vtilitatem, quàm definitionem sequuntur Scribentes cõmuniter. sed non aduertunt tanti patres quod hac definitione, magis officium iudicis (quod in actu & exercitio iurisdictionis versatur) describunt, quàm

quàm definiant simplicem iurisdictionem, quę in habitu & abstracto consistit. Præterea eorum definitio implicat contradictionem, cum officium iudicis nullam præsupponat obligationem: sed illi contradicat, l. qui per collusionem. §. fin. de act. empt. notatur in l. 4. C. deposi. & in l. Quintus Mutius, de annu. leg. Sed cùm simplex iurisdictio principaliter versetur circa causas, quæ iure obligationis per actiones expediuntur in iudicio, vt omnes volunt post Petr. & Bart. in d. l. imperium, ergo non officio iudicis simplex iurisdictio exercetur, sed iure actionis. Si ergo non officio iudicis expeditur simplex iurisdictio: igitur nec mercenario. Nam remoto genere, omnes eius species remoueri quoque necesse est, l. quid earum, §. si interemptum. de lega. 3.

Accedit nostræ sententiæ, † quod delegare causas, aut iudicem dare, est iurisdictionis simplicis. d. l. imperium, in fin. & volunt omnes Scribentes ibi, imò est proprium iurisdictionis simplicis, si Accursio credimus in l. 1. in gl. in verb. bonorum, & in l. iubere, de iurisd. om. iud. sed delegatio non expeditur officio iudicis mercenario, quoniã nulla actione petitur delegatio: nec potest iudex cogi ad partis postulationem causam delegare, sed & totum sponte facit, & ex mero eius officio, quod ipsi nobile appellant, quod nulli actioni seruit aut famulatur. Ergo non erit delegatio iurisdictionis simplicis, si vera sit communis definitio. 2

Præterea, si omnis simplex iurisdictio, † ad solam priuati vtilitatem expediatur: ergo actiones populares, quæ in publicum deferunt, non erunt simplicis iurisdictionis, contra communem Scribentium sententiam. siquidem conditio ex lege Agraria de termino moto. quæ in eum, qui dolo 3

malo, terminos suo loco nouit, pœnam quinquaginta aureorum in publicum dare iubet, pro quolibet termino moto, & in publicum defert. quia est popularis, vt ibi dicitur. Sic etiam in l. Cornelia, §. fin. ad Syluianum. aduersus eum, qui contra edictum tabulas testamenti aperuit, popularis actio constituta est: cuius pœna centum aureorum est, ex bonis damnati exsoluenda: & pars dimidia actori datur, & altera dimidia in publicum defertur. Sic quoque actiones, quas fiscus, vel ecclesia mouent, non ad priuatam vtilitatem: sed ad ipsius ecclesiæ, fisci, an Reipublicæ vtilitatem principaliter mouentur. non erunt igitur iurisdictionis simplicis hæ actiones, cum ad publicam & non ad priuatam principaliter pertineant vtilitatem, aut si sunt iurisdictionis simplicis, manca erit & imperfecta Bartoli definitio. Adde quod accusatio criminis, quam constat ex communi sententia esse meri imperij: attamen officio iudicis mercenario expediri superiùs iam docuimus in 2. conclus. num. 4. Erit ergo simplicis iurisdictionis, non autem meri imperij. si vera sit definitio Bartol. quod prorsus absurdum est & falsum.

4 Reiecta igitur definitione † Bartoli, nos simplicem iurisdictionem ita definiuimus, vt sit iurisdictio ciuilis nulli imperio accedens, iure magistratus competens. Hæc definitio constat genere & differentijs. *Iurisdictio* genus est, quod prędicatur de imperio & iurisdictione simplici, ac etiam de quarta specie iurisdictionis, & de hoc genere loquitur rubrica de iurisdict. omn. iud. differentia autem *Iurisdictio ciuilis*, qua merum imperium remouetur à simplici iurisdictione, quæ est omninò ciuilis: cùm iurisdictio meri imperij sit

tota

tota criminalis.d.l.imperium. A misto autem imperio distinguitur hæc iurisdictio simplex, quia imperio non inest hæc simplex iurisdictio, aut illi accedit, vel miscetur: sed stat per se nulli imperio accedens. Separatur autem à quarta specie iurisdictionis. quoniam simplex iurisdictio iure magistratus competit: illa autem quarta iurisdictionis species specialiter semper tribuitur, vt suo loco ostendemus: & quod simplex iurisdictio iure magistratus competat, probat text. in l. 1. de offic. eius cui. vbi mandata iurisdictione, ea quæ iure magistratus competunt, transeunt in delegatum. sed illa, quæ specialiter tribuuntur, non trāseunt. nec hoc mandato continentur: cùm non sint simplicis iurisdictionis, nec simpliciter concessa magistratibus: sed specialiter & in priuilegium, vt volunt Bart. Bald. Alexan. Castren. Roman. Ias. & communiter Scribentes ibi. quod etiam probatur ex illo textu, in vers. cùm aliter iurisdictio à potestate demandetur, vt gloss. in verbo, iurisdictio. intelligit de illa iurisdictione, quæ competit iure Magistratus. quæ Glossa ab omnibus Scribentibus approbatur. Probatur etiam eadem lege. in versic. verius est more maiorum iurisdictionem quidem transferri: sed merum imperium, quod lege datur non posse transire. Ecce quomodo ibi iurisdictio ponitur, & in tota illa lege, vt species opposita iurisdictioni specialiter tributa. Ideò accipitur pro illa, quæ iure magistratus competit. Probatur etiam ex l. muto, §. tutoris datio, de tutel. Vbi datio tutoris, neque imperij est, cùm coercitionem non habeat: neque iurisdictionis, quoniam ei soli competit, cui lex, Senatusconsultum, vel princeps specialiter concessit, quæ ratio expressa est in illo §. vnde concludit necessariò, iurisdictio-

nem simplicem competere iure magistratus: alioquin ratio illa expressa, non esset bona & concludens. Nec recipienda Glossæ interpretatio ibi, quia vt Aurelia destruit textum. & eam superiùs in conclusione vndecima reprobauimus, per rationes, quas hic non repeto. Quod iurisdictio simplex iure Magistratus competat, etiam probatur ex eo: quia huius iurisdictionis proprium est delegare. glossa communiter approbata in l. 1. in ver bo bonorum, de iurisdict. omnium iudic. & probatur in d. l. imperium, in fine. quoniam ea quæ specialiter à lege, Senatusconsulto, vel à Principe tribuuntur, non delegantur, l. 1. in princip. de offic. eius cui. l. placet, C. de pedane. iudic. & vbique notant Scribentes. Sequitur ergo iurisdictionem simplicem, cuius proprium est delegare, iure Magistratus competere. quod confirmatur ex l. solet prætor. de iurisdict. omnium iudicum, vbi prętor solet suam iurisdictionem omnem mandare. ergo iure Magistratus competit iurisdictio. quoniam si specialiter esset tributa, non posset illam mandare (vt dictum est.) & pondera textum in eo quod dicit, omnem iurisdictionem mandare, quoniam sequitur ex hoc omnem iurisdictionem simplicem competere iure Magistratus, quoniam qui totum dicit, nihil excludit. l. Iulianus. de legat. 3.

5 Quæ autem † causæ competant iure Magistratus, & quæ specialiter sint tributæ. declarat Gloss. in l. 1. in verbo, Magistratus, de officio eius cui. quam sequuntur Bartol. Bald. Alberic. Castrens. Ias. Roman. & communiter Scribentes. licet Rapha. Fulgos. subtili suo ingenio ab hac communi sententia recedat, vt nouam adstruat, quam ponit in d. l. 1. à numer. 11. vsque ad numer. 17. cuius opinionem

nionem ſequitur ibi Decius numer. 41. & Alciat. paradox. libro 2. cap. primo. quam opinionem tenet etiam ipſe Fulgoſius in l. iubere, & in l. Magiſtratibus, de iuriſdict. omnium iudic. Sed quia in iudicando & conſultando, à communi & diu recepta ſententia non eſt recedendum, vt etiam ipſe Fulgoſ. in d. l. 1. fatetur, meritò nos, quantum ad ea quæ iure Magiſtratus competunt, communi ſententiæ adhæremus, & illam ſequimur in hac concluſione.

## *SVMMARIA.*

1 *Liberales cauſæ vel ſtatus, non ſunt ſimplicis iuriſdictionis, nec iura Magiſtratus, aliquo modo poſſunt competere, ideò reÿcitur diſtinctio Bar. in §. vbi decretum. ibidem nu. 2.*

3 *Delegari non poteſt cauſa ſtatus aut libertatis, & declaratur nouo ſenſu & intellectu, tex. in l. ſi quis libertatem, de pet. hæred.*

## CONCLVSIO XIX.

HInc primum gradum Bartoli ſimplicis iuriſdictionis iure reprobamus.

Bart. in d. l. imperium, colum. fin. num. 24. conſtituit ſex gradus iuriſdictionis ſimplicis. in primo collocat cauſas liberales, & ingenuitatis, & libertinitatis, quæ ſunt magni præiudicij. & cognitionem illarum appellat maximam iuriſdictionem. quoniam maximi ſunt præiudicij, & iure actionis expediuntur. §. præiudiciales. de actio. in Inſt. At deportatio, relegatio & ſimilia, quæ licet mutent ſtatum perſonæ: tamen quia iure actionis non expediuntur, meritò nõ pertinent ad hũc gra

 dum.

dum. Subdit Barto. quod hæc maxima iurisdictio, quæ in causis status & liberalibus versatur, non potest delegare. quia specialiter tribuitur à lege, Senatusconsulto, vel à Principe. hæc Bartol. cuius sententiam Alexan. Fulgos. Iason, & Docto. communiter sunt sequuti. Mouetur Bartol. illa ratione solum: quia officio mercenario ad priuatam vtilitatem, causæ status & liberales expediuntur. ideò simplicis sunt iurisdictionis: quòd sumunt ex Barto. iurisdictionis simplicis definitione, quam pro maxima habent.

Sed quoniam illam Bartoli † definitionem optimo iure superiùs in præcedenti conclusione reprobauimus, & docuimus iurisdictionem simplicem iure Magistratus competere, ideò non possunt causæ status & liberales simplicis esse iurisdictionis: cùm iure magistratus non competant, sed maioribus iudicibus specialiter sint tributæ, l. non distinguemus, §. Iulianus, de recept. arbitr. in versicul. quia fauor libertatis est, vt maiores iudices habere debeat. Subdit, prætereà, quod eadem dicenda sunt, siue de ingenuitate, siue de libertinitate quæstio sit. & ibi Gloss. in verbo, idem dicendum. Hoc ampliat ad adscriptitios & similes personas, de quarum statu quæritur, per l. ne diutiùs. C. de agricol. & censit. libr. 11. & dicit hoc seruandum in matrimonio, monachatione, & conuersione. quoniam in his, quasi de statu personarum quæritur, cuius iurisdictio ad maiores iudices pertinet. l. 2. C. vbi causæ status agi debeant. & in l. fin. eodem titu. ibi, in litib. quibus vtrum aliquis ingenuus sit, an libertus quæritur, in prouincijs apud earum moderatores, vel in hac alma vrbe apud competentes maximos iudices examinētur. & in l. 2. in fin. ibi, dum tamē, & de ingenuitate

& de

& de libertinitate, præsides ipsi dijudicent.C.de peda.iudic.

Nec huic sententiæ † nullus Scribentium contradicit:sed sequuntur eam vnanimiter.licèt Bar. in l.nec quicquam.§.vbi decretum. colum.penul. num.8. de offic.proconf. distinguit inter quæstionem ingenuitatis & libertinitatis,hanc dicens,iure magistratus competere, illam verò specialiter esse tributam. cùm sit magis ardua quàm causa libertinitatis. quæ ideò minoribus magistratibus fuit concessa, l.iamdudum.C.vbi caus. status. At hanc Bartoli distinctionem iure reprehẽdit Curtius in d.l.imperium, num.125. quoniam procurator Cæsaris vel rationalis,non sunt de minoribus magistratibus:cùm sint clarissimi. vt nuncupatim tenet Ias.in l.1.colum.4.nu.18. de officio eius cui. & Curti. in loco iam dicto. & probatur etiam ex ordine titulorum magistratuum, qui gradatim & ordinatim à super illustribus ponuntur in Digestis. Nam præses & procurator Cæsaris: quia sunt clarissimi, statim ponuntur post spectabilium magistratuum officia & dignitates, vt diligenter aduertit.gloss.in rub.de offic.præsid. Non est ergo procurator Cæsaris, vel rationalis ex minoribus Magistratibus, sed ex maioribus, quibus specialiter concessum est cognoscere inter fiscum & priuatum de causa libertinitatis, & iurispatronatus fisci,d.l.iamdudùm. licèt causæ ingenuitatis cognitio, etiam inter fiscum & priuatum illis fuerit prohibita, quoniam in quæstione libertinitatis & seruitutis, semper Cæsaris priuata resultat vtilitas, saltem ratione iuris patronatus:quòd Cæsar consequi debet, esto quòd nõ declaretur seruus: sed libertus Cæsaris. Neq; tantus est fauor libertinitatis atque ingenuitatis. Non

igitur immeritò alterum tribuitur procuratori Cæsaris specialiter: alterum verò nominatim ꝓhibetur. l. si pater. Cod. ne de statu defunctor. & in d. l. iamdudum. quæ ita est intelligenda. Et iuxta hanc distinctionem nostram, debet intelligi & declarari text. in l. procuratores. Cod. vbi causæ status. qui generaliter negat Cæsaris procuratorem, status causam examinare posse: quoniam de causa status ingenuitatis, nõ autem de libertinitate est constitutio illa intelligenda. cùm de hac cõstitutum sit, procuratorem Cæsaris posse cognoscere d. l. iamdudum.

3 Nec nostram conclusionem oppugnat, quod causa status † potest delegari, vt voluit Barto. per illum text. in l. si quis libertatem. colum. 3. nu. 8. de petition. hæreditat. qui allegat Iaco. Aret. & Cynum. quos etiam sequitur Fulgos. in d. l. si quis libertatem. Nam pace tantorum patrum dicam, eorum sententiam expressè damnat text. in l. 2. in fine, Cod. de peda. iud. vbi Imperator causas libertinitatis & ingenuitatis nominatim prohibet delegari. nec text. in d. l. si quis libertatem, §. planè, summatim probat eorum intentionem. Nam ibi Iureconsultus in illa quæstione, quando Licinio seruo hæredi cum libertate instituto, status quæstio à filio exhæredato mouebatur, quam quæstionem differre volebat Licinius, sub prætextu petitionis hæreditatis, quam mouere volebat post quinquẽnium, quo filius exhæredatus, agere potest quærela: ideò quęrebatur ibi, An hoc prætextu, posset Licinius causam liberalem institutam, in quinquennium differre? Respondet Iurecõsultus ibi diuum Pium rescripsisse, iudici summatim cognoscendum, an bona fide id postularetur: & si deprehenderit bona fide & sine calumnia petitum,

titum præstituendum. Licinio modicum tempus ad petendum hæreditatem, intra quod si non fuerit super petitione hæreditatis contestatum: iubeat iudicem libertatis partibus suis fungi. Nam in illo textu, causa liberalis tractabatur, coram alio iudice competente illius causæ, & pendente hoc iudicio, vt posset illius causæ litem differre, voluit mouere actionem super petitione hæreditatis coram alio iudice maiore, qui poterat iubere magistratum causæ liberalis motæ. Nam aliud est iubere, aliud mandare vel delegare, vt dicit gloss. in l. nec mandante. in princip. de tuto. & curat. dat. facit text. in §. & hoc in 2. responso in authentic. vt nulli iudic. in d. l. si quis libertatem, §. planè. In illa igitur l. si quis libertatem, quæstio principalis, quæ deciditur ibi hæc erat. An liberale iudicium iam institutum, & eo pendente coram alio iudice, differri possint in quinquennium prætextu petitionis hæreditatis, in quinquennium mouendæ à filio exhæredato coram alio maiori iudice. quæ quæstio deciditur ibi. Sed ad quẽ iudicem status quæstio pertineret, non vertebatur ibi in dubium, nec erat de hoc quæstio mota ibi. Nam quæstio liberalis causæ, iam pendebat coram suo iudice. itaque meritò non deciditur ibi hæc quæstio: sed remanet in dispositione iuris communis, iuxta glo. in l. 1. in verb. *habeat vnusquisque*. C. de sacrosanct. eccles. communiter approbata. Sed ex dispositione iuris, causæ liberales, vel libertinitatis indelegabiles sunt, d. l. C. de peda. iudic. Sed illud iudicio meo decepit Bartolum, quia existimauit causas libertinitatis competere iure Magistratus, & posse ideò delegari. quod falsum esse ex d. l. 2. manifestè deprehẽditur.

Simi-

Similiter non obſtat, quòd apud pedaneos iudices, hoc eſt delegatos, libertus poteſt propter ingratitudinis cauſam, in ſeruitutem reuocari, l.7.C. de libertis & eorum liberis. Nam reſpondemus, ingrati liberti odio, illud ibi eſſe conſtitutum: ſed non ita in cauſa liberali, cuius maximus eſt fauor, l.libertas. de regul. iur. vt proprios habeat iudices, l. non diſtinguimus, §.Iulianus.de recept.arbitr. & l.2. in fin.C.de pedan.iudic.

Sic etiam non oppugnat concluſionem noſtrã, quòd inferior iudex poteſt incidenter cognoſcere de cauſa ſtatus, l.quoties.de iudic. quoniam illud fit incidenter, & vt cognoſcat tãtum: Non autem iudicat quæſtionem ſtatus, nam pertinet ad officium iudicis, qui de hæreditate cognoſcit, vniuerſam incidentem quæſtionem quæ in iudicium deducitur, examinare, ſed non iudicare. quoniam non de ea, ſed de hæreditate pronuntiat, l.1. C. de ordine cognitionum. Siquidem incidentis quęſtionis habet iudex potiùs notionem quàm iuriſdictionem, quoniam de illa tantùm cognoſcit, ſed non pronunciat, vel iudicat. d.l.1. Sic igitur cognitio ſuper incidenti à minori magiſtratu, facta, non parit exceptionem rei iudicatæ, ſi coram ſuo iudice principaliter poſteà deducatur, vt not. Caſtren. in d.l.1.num.2.

*SVMMARIA.*

1 *Pœna pecuniariæ in cruciatum corporis commutatio, iuriſdictionis ſimplicis non eſt, & qua ratione.*

CONCLVSIO XX.

Quæ

QVA etiam ratione † corporis cruciatum, 1
ad quem iudices propter sententiam iure actionis latam, quandoque peruenire coguntur, ex illa regula, *Qui non habet in ære, luat in corpore*, simplicis iurisdictionis esse negamus.

Bartol.in d.l.imperium. colum.fina.num.25.sic ait, Secundus gradus iurisdictionis simplicis, continet maiorem iurisdictionem, quæ consistit in causis, in quibus vigore sententiæ latæ super aliqua actione, perueniri potest ad cruciationem corporis: ex regula, *qui non habet in ære, luat in corpore*, l.1. §.1. de pœnis, & l. quicumque C.de ser.fugit. Subdit prætereà Bartol. quòd hæ causæ non possunt delegari. quoniam coercitio in corpus, non transit in delegatum, l. nemo potest gladij.de regul.iur. Sed pace eius dicam, non potest eius opinio vera subsistere, quoniam (vt dicimus in definitione,) simplex iurisdictio iure magistratus competit, sed hic cruciatus corporis, ad quem peruenitur ex illa regula, maioribus iudicibus specialiter fuit tributus, vt inferiùs demonstrabo. ideo iurisdictionis simplicis esse non potest, sed erit vel merum imperium, vel iurisdictio ciuilis à lege, senatusconsulto, vel à principe specialiter tributa, quoniam minor iudex, qui de causa delicti ciuiliter cognouit, & in pecuniaria pœna reum condemnauit, non poterit ipse pœnam pecuniariam commutare in corporalem, & corpori infligere cruciatum: cùm non habeat merum imperium. Sed necesse habet, ad maiorem iudicem puniendum remittere condemnatum, qui pœnam pecuniarem in corporalem commutabit, vt sentit Curtius Iun. in d. l. imperium, colum.

lum.penult. nume.111. allegat pro sua opinione, text.in l.final. de in ius vocando. & l.1.§.solent ad præfectum,de offic.præfect.vrbi.Probatur etiam eius sententia in l.1.§.fina.de pœnis. vbi ad præfectos vel præsides pertinet hæc pœnæ commutatio. & in l. si quis iniuriam atrocem. de iniurijs. vbi hoc pertinet ad prætorem. vnde in l. quicumque.§.quòd si ad prædicta.C.de seruis fugit. & in l.fina.in fin.C.de sepulchro violato. dicitur hanc pœnæ commutationem fieri debere à competente iudice. quoniam minor magistratus, qui coercitionem in corpus non habet, tenetur remittere reum ad maiorem iudicem puniendum, l.defensores.C.de defensor.ciuitat. Ergo non iure Magistratus fit: alioquin etiam minor Magistratus esset iudex competens illius commutationis pœnæ.Sed delegata est à lege,& maioribus iudicibus tributa.ideò simplicis iurisdictionis esse non potest,sed erit,vel merum imperium,vel iurisdictio ciuilis specialiter lege,senatuscõsulto,vel à principe tributa.quæ est quarta species iurisdictionis, à nostris incognita.

## *SVMMARIA.*

*1 Iurisdictionis simplicis non erant iure Codicis, omnes causæ excedentes summam quinquaginta solidorum:sicut nec hodie sunt, iure Authen. causæ quæ excedunt trecentos aureos.*

## CONCLVSIO XXI.

EAdem ratione causæ ciuiles, quæ excedunt quinquaginta solidos iure Codicis. vel trecentos aureos iure Authenticorum. quas in tertio gradu iurisdictionis simplicis locauit Barto-

Bartolus, simplicis iurisdictionis esse inficiamur.

Tertia inquit Bartol. in d. l. imperium. colum. final. numer. 26. est iurisdictio magna, quæ excedit summam trecentorum aureorum, quæ non competit, nisi maioribus Magistratibus. §. & iudicare, in Authent. de defenso. ciuitat. & causæ huius iurisdictionis delegari non possunt, nisi propter absentiam, vel multas iudicum occupationes. Hæc Bartol. cuius sententiam comprobant Alexan. Fulgos. Ias. Curt. Iun. Dec. & communiter Scribentes. quæ opinio fuit originaliter glo. in d. §. iudicare. in verb. ad trecentos.

Sed quoniam superius iam docuimus in conclusione decimaoctaua. numer. 4. iurisdictionem simplicem omninò competere iure Magistratus, & indiscriminatim delegari posse, quasi proprium huius iurisdictionis simplicis sit delegatio: ideo iure Codicis causæ excedentes summā quinquaginta solidorum: vel iure Authenticorum, quæ excedunt trecētos aureos, iurisdictionis simplicis esse non possunt: cùm hæ causæ specialiter tribuantur maioribus iudicibus, & minoribus sint denegatæ. nam iure Codicis & constitutionibus Imperatorum Valentiniani & Valentis, defensores ciuitatum vltra quinquaginta solidos non poterant iudicare. Nam supra illam summam iudicare rectori prouinciæ, & maioribus iudicibus solis erat reseruatum, l. 1. C. de defenso. ciuitatum. ideo supra quinquaginta solidos iudicare illo iure fuit specialiter tributum, quod posteà ius Authenticorum immutauit. in d. §. & iudicare. per quem fuit correcta, d. l. 1. vt etiam animaduertit glo. in d. §. & iudicare. in verbo. ad trecentos. vnde hodiè iure nouissimo Authenticorū, iudi-

FAdem ratione dare bonorum possessionem, quæ ius tribuit. siue decretalem, quæ iure Digestorum cum solemni decreto dabatur: siue iudicialem, quæ in sola agnitione in iudicio facta consistit. iurisdictionis simplicis esse defendemus.

Ad cuius conclusionis † declarationem in modum cuiusdam preuiæ inspectionis: dicimus triplicem in iure nostro inueniri bonorum possessionem, edictalis, quæ non decernitur à prætore viuo: sed ex prætoris mortui edicto competit. & ob id *edictalis* appellata l.3 § proinde de bonorum possession. gl. in l. fin. §. Sin autem ex alia. in verb. *ex decreto*. C. de cura furiosi. à qua descendit ius bonorum possessiõis, quod in iudicio ex Constantiniana lege agnoscitur: vel iure Digestorum, cum solemni decreto, & caussa cognita decernitur. quæ à decreto *decretalis* appellatur. l.1.§. decretalis. de success. edict. quæ desiderat petitionem solemnem cum libello factam, partis citationem, & quod iudice pro tribunali sedente caussa cognita decernatur, quæ à decreto tanquã à digniori parte denominatur. gl. in l.3.§. municipalibus in verbo *edicto* de bonorum possessio. Et etiam gl. in l. fin. §. sin autem ex alia. in verbo. *ex decreto*. C. de curat. furiosi sicut & iudicialis bonorum possessio, *à iudicio* appellata. quod sola agnitione in iudicio facta, siue alia solemnitate acquiratur. l. penul. l. fin. C. qui admittit. ad bonorum. l. fin. §. sin autem ex alia. in 2. responso. C. de cura. furiosi. & §. fin. de bonorum possessio. in Institu. not. Barto. in l.1. C. qui admitti. & in l.3. §. si caussa de bonorum possess. Vnde ex antiquis omnibus solemnitatibus, quæ iure Di-

gestorum desiderabātur in danda bonorum possessione: hodiè vna sola iure Codicis remansit: scilicet, vt in iudicio agnoscatur. vnde *iudicialis* appellata. & summa ratione fuerunt aliæ solemnitates sublatæ ex illa Constantini constitutione: quoniam nullius momenti erant. Nam post datam ex decreto bonorum possessionem, admittebatur possessor ad probandum in iudicio petitionis hæreditatis, contra ea, quæ emancipatus in ipsa decretalis bonorum possessionis datiõe probauerat. gloss. & ibi Bart. in l. 2. §. bonorum, in verbo *insperfequendi* de bonorum possession. Merito itaque fuit sublata decreti illa antiqua solemnitas. cum simplex bonorum possessionis agnitio in iudicio facta hodie sufficiat.

2 Existimo autem † hanc solemnitatem decreti antiquitus fuisse constitutam. ne ius filij emancipati, ius suum petere negligentis, vel illud ignorantis, dum extraneus se filium mentiendo hanc bonorum possessionem facile obtineret, si nulla cum solemnitate decerneretur. Quapropter causa cognita, & filiatione probata, & parte citata, ex solemni decreto iure Digestorum dabatur. Sed Constantiniana lex negligentibus emancipatis subuenire noluit: argum. l fin. ex quib. caus. maiores. Et ignorantibus satis succurritur quoniam in principali iudicio petitionis hæreditatis, de causis & meritis bonorum possessionis datæ cognoscitur. Et ad amussim illæ caussæ discutiuntur & ruminantur, vnde merito recessit illa decretalis, quæ ex solemni decreto iure Digestorũ dabatur. Et eius loco successit iudicialis ex lege Constantiniana, quæ agnosci magis quàm dari dicitur.

His præfatis dicimus, decretalem bonorũ posses-

sessio-

sessionem, quæ iure Digestorum solemniter decernebatur, Iurisdictionis simplicis esse. quoniam de iudiciali non est dubium: cum ex lege Constantiniana iure Magistratus competat: quoniam apud quemlibet iudicem etiam municipalem eadem lege agnosci potest. d.l. penult. & l. fin. C. qui admitti. Vt solum dubium hodie remaneat in decretali. quam iurisdictionis simplicis esse defendimus. idque primo probamus ex intellectu nouo quod nos superius in 11. conclus. num. 1. 2. 5. 6. & 7. dedimus ad l. imperium in versic. quod in danda. vbi ex illo responso Vlpiani copiosè demonstrauimus, dare bonorum possessionem non esse misti imperij: idque rationibus, quæ hic non repeto.

Secundò, probatur ex l. 1. iuncta. l. cognitio. §. fin. de offic. eius cui. nam dicitur in d. l. 1. quæcunque specialiter lege, senatusconsulto, vel constitutione Principis tribuuntur, mandata Iurisdictione non transferũtur. quæ vero iure Magistratus competunt mandari possunt. Atqui vt bonorum possessio detur mandari potest, vel delegari tex. est expressus in d. l. cognitio. §. fi. ergo dare bonorum possessionem non specialiter tribuitur, sed iure Magistratus competit, etiam iure Digestorũ: alioquin delegare non posset. iuxta regulam d. l. 1. & hoc modo intelligendo, leges legibus optimè conueniunt, & benè concordant. nec erit necessarium tot distinctiones, vel cõmẽta, vel potius diuinationes pro illarum concordia astruere in d. §. fi. probat Accursius ibi. item Bart. & communiter Scribentes faciũt. dum sensum illius paragraphi contra propriã verborũ naturam, & legislatoris mentẽ, modo huc, modo illuc pro arbitrio cõtorquent: licet Iurecõsultus simpliciter & gene-

neraliter ibi loquatur, nihil prorsus distinguendo nec illi distinguere debuerunt, iuxta regulã. l. de pretio. de public. in rem action. nam si lex voluisset distinguere, facile ei erat hoc adijciés, sed quoniam non adecit, sequitur quod noluit.

Tertiò, quia iure Magistratus ea concessa fuerunt, quæ non sunt magni præiudicij probatur in l. 1. & toto tit. C. de defenso. ciuitat. iuncta communi Scribentium sententia post glo. in l. 1. in verbo *iure magistratus*. de offic. ei us cui. vt ea censeã tur iure magistratus competere, quæ omnibus magistratibus etiam municipalibus, & ciuitatũ defensoribus fuerunt concessa. atqui dare bonorum possessionem decretalem, quæ ius tribuit, cùm possessori hæc datio non præiudicet, quin possit in petitionis hæreditatis iudicio, postmodum probare illum cui bonorum possessio decreta fuit, non esse filium: & hoc modo dationem possessionis retractare. cum in iudicio petitionis hæreditatis, caussæ dationis, bonorum possessionis, & merita iterum examinentur, & ad amussim discutiantur. vt concludunt communiter Scribentes post gloss. & Barto. in l. 3. §. si caussa cognita. de bonorum possessio. & potest possessor probare, iniustè filio datam bonorum, possessionem fuisse gl. in d. l. 3. §. bonorum in verbo. *ius persequendi*. & Barto. in d. §. si caussa cognita. sequitur ergo, decretalem bonorum possessionem, cùm sit minimi præiudicij, iure Magistratus competere, etiam iure Digestorum, erit ergo simplicis iurisdictionis.

Quartò, probatur à partiũ enumeratione. quoniam decretalis bonorum possessio, quæ ius tribuit, non est imperij meri vel misti: cum nullam habeat coercitionem personalem, verbalem, aut realem,

realem, nec iussum vel coactionem siquidem dare bonorum possessionē, nihil aliud est quàm habilitare personam ad agendum.gloss.in l.1.& in l. 3.de bonorum possession. Bart. post gloss.in rubr. C.qui admitti.& quia non datur inuito,& nolenti.d.l.3.§.inuito.Ideo iudicis iussus, præceptum, vel coactio,in hac bonorum possessionis datione non interuenit,nec desideratur.Nam nil aliud facit iudex in ea danda, nisi quod parte citata cognoscit de filiatione,& consanguinitate,& caussa cognita declarat illum bonorum possessorem,& ius persequendi,vel retinendi patrimonium,vel res quas defunctus habuit tempore mortis ei tribuit,ex prætoris mortui edicto.quoniam hæc bonorum possessio est omnino iuris, neque ad rerum corporalium possessionem refertur: sed solum ius retinendi vel persequendi patrimonium ex ea tribuitur,sine vlla rerum corporalium possessionis apprehensione.d.§,bonorum. Nam corporalium rerum possessionem inde petitione hæreditatis,vel alia actione postea nanscimur.glos. in d. §. bonorum in verbo.*ius persequendi.* Igitur cùm non sit imperij meri vel misti, neque specialiter maioribus iudicibus tribuatur : sed iure magistratus competat. sequitur illam simplicis esse iurisdictionis,quæ iure magistratus competit.

Nec me mouet quod gloss.in l.1.in verb. *bonorum* de iurisdict. omnium iudic.& Bart. in l.3.§. si causa cognita de bonorum possession.& vbique Doctores notant,dare bonorum possessionem esse misti imperij:ea sola ratione,quia caussa cognita cum solemni decreto dari debet d.§.si causa cognita.& in l.2.§.dies.quis ordo in bon.possess. ser-

uetur. Ideò delegari nõ poteſt, per regulam l. nec quicquam, §. vbi decretum. de offic. proconſ. ſecundum tertium intellectum gloſſ. ibi in verbo *decretum*, quem Doctores communiter ſequũtur. Sed pace dicam tantorum patrum, eorum ratio falſa eſt, nec concludit, quoniam multa ſunt quæ cauſæ cognitionem deſiderant: quæ tamen non ſunt miſti imperij, ſed ſunt alterius generis iuriſdictionis. Sicut cauſſæ liberales, vel ſtatus, quæ requirunt plenam cauſſæ cognitionem, nec tamen ſunt miſti imperij. Sicut etiam omnes cauſæ ciuilis iuriſdictionis ſpecialiter tributæ, requirunt plenam cauſæ cognitionem: attamen nõ ſunt miſti imperij, ſed quartæ ſpecici iuriſdictionis, quam inferiùs ſuo loco declarabimus.

Nec etiam maxima quæ ex d. §. vbi decretum. communiter ab Scribentibus noſtris deſumitur, vt ea quæ cauſæ cognitionem deſiderant, nõ poſſint delegari authoritate illius. §. vbi decretum. non poteſt vera ſubſiſtere: & per conſequens, nec communis intellectus ad illum paragraphum. vt diligenter animaduertit Alciatus paradoxorum lib 2. ca. 3. vbi deridet eos, qui illa verba *per libellum* interpretantur iudicem delegatum. Quãdoquidem in delegatione nullus libellus deſideretur. vnde Fulgoſ. & Iaſ. in d. §. vbi decretum. meritò fatentur illa verba impropriè accipi: cùm libellus ſua propria ſignificatione delegatum non comprehendat. ſed proprie ſignificet ſupplicationem iudici oblatam, qua petitur à iudice, vt ſine cauſæ cognitione decernat id, quod in ſupplicatiõe poſtulatur, hoc eſt, vt approbet illa ſola ſubſcriptione. Vnde in d. §. vbi decretum. declarat Iureconſultus in quibus cauſis iudex non poſſit

 ſola

ſola ſubſcriptione decernere. & in quibus ſola ſubſcriptio iudicis ſine cognitione cauſſæ facta, nõ habet authoritatem rei iudicatæ: ſicut in omnibus cauſis, quæ cauſa cognita, & cùm ſolemni decreto expediri debent, vt in venditione prædiorum minorum, & manumiſſione ſeruorũ, quæ à minore viginti quinque annis fieri debet. & in adoptione vel emancipatione, & ſimilibus cauſis, in quibus ſolemne decretum cauſa cognita interponi debet. l. 2. de offic. proconſ. l. 2. de offic. eius cui. Quæ quoniam cauſſæ cognitionem deſiderant, per libellum ſimplicem: hoc eſt, per ſubſcriptionem iudicis ſolam ad libellum, ſine cauſæ cognitione factam expediri non poſſunt. quoniam in quibus cauſis plena cognitio cauſæ deſideratur, ſola iudicis ſubſcriptio ad libellum facta, authoritatem rei iudicatæ nõ habet. l. iudex. C. comminationes epiſt. programmata &c. ſecùs eſt in cauſis, in quibus plena cauſæ cognitio non deſideratur, ſed ſummatim cognoſcitur, quoniã in illis, ſola iudicis ſubſcriptio: ſeu probatio ſimplicis libelli, ſine cauſæ cognitione à iudice facta ſufficeret. argu. l. 2. C. de aſſeſſoribus. Facit à contrario ſenſu. l. omnia quæcumque. de reg. iur.

Similiter non oppugnat concluſionem noſtrã l. 2. de offic. eius cui. vbi mandata iuriſdictione priuato, poteſtas authorãdi in manumiſſione minoris, & alimentorum tranſactione, aut prædiorum minorum venditionibus, quæ ſine cauſæ cognitiõe & ſolemni decreto expediri non poſsũt: ſicut nec bonorum poſſeſſionis datio, poteſt expediri, in qua ſolemne decretum & cognitio cauſę, ſicut in manumiſſione minoris, alimentorũ tranſactiõe, & pdij minoris vẽditione deſideratur. Ideò, ſicut hæc ſpecialiter tribuũtur. & delegari nõ

 poſ-

possunt: ita videretur dicēdum de ipsa bonorum possessionis datione, vt specialiter tribuatur & indelegabilis sit. cùm in hac datione bonorum possessionis, cognitio causæ cum solemni decreto desideretur: sicut & in manumissione & prędij minoris venditione, & alimentorum transactione. Sed non procedit argumentum hoc à simili: cum ratio sit diuersa. ideò diuersum ius statui necesse fuit. Nam potestas authorandi in manumissionibus minorum, & prędiorum venditionibus, aut alimentorum transactionibus: ideò non transit in delegatum mandata iurisdictione: quoniam hæc specialiter tribuuntur lege, Senatusconsulto, vel à Principe: ideò mandata iurisdictione non transferuntur. d.l.1. de offic. eius sed dare bonorum possessionem caussa cognita, & cum decreto, iure magistratus competit: vt supra probauimus in decimaoctaua conclusione. ideò delegari potest, & mandata iurisdictione transit, ex regul. d.l.1. versicu. quæ vero iure magistratus competunt, mandari possunt. si autem quæras differētiæ rationem, quare illa potius, quàm hæc bonorum possessionis datio specialiter fuerint tributa, puto hanc esse, quoniam in illis graue & irreparabile versatur præiudicium, quòd non est in bonorûm possessione danda. iuxta ea quæ notat Bart. in d.l.3. §. si causa cognita. & in l.1. C. qui admitti. Merito igitur hæc iure magistratus competit, & mandari potest. illa autem specialiter fuerunt concessa. ideò delegari non possunt.

## *SVMMARIVM.*

*1 Iurisdictio simplex, melius duobus gradibus quàm sex distribuitur, vt in primo gradu collocenter omnes*

*nes causæ, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis. In secundo, causæ iurisdictionis contentiosæ, quæ pertinet ad hanc iurisdictionis speciem.*

## CONCLVSIO XXIII.

IVrisdictionem simplicem non sex gradibus, vt Bartolus, sed rectiùs duobus concludi, & distribui posse ostendemus.

Bartol. in d. l. imperium, colum. final. nume. 24. partitur iurisdictionem simplicem in sex gradus. sed nos illam duobus gradibus concludi, & rectius distribui posse exstimamus, vt primus gradus sit earum causarum, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, vt sunt insinuationes testamentorum, vel donationum, & alia quæcunque monumnnta. quoniam illa iure Magistratus competunt: & municipalibus magistratibus, & ciuitatum defensoribus fuerunt etiam concessa. §. nulla existente licentia, in Authent. de defensor. ciuita. vbi gloss. quicquid, dicit, Omnia quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, defensores posse facere, vt probatur in illo textu, in fine. ibi, quædam agere in quibuscunque voluerunt. & in l. fina. C. de magistratib. municipal. & in l. vnica, in fine. C. de offic. iudic. Alexandriæ. & in l. 1. eodem titul. vnde Iacob. de Bellouis. in §. iusiurandum. in sexto notabil., in Authent. de defensor. ciuit. notat defensores voluntariam iurisdictionem habere. eum sequuntur Bartol. ibi, & communiter Scribentes.

In secundo gradu collocamus omnes causas simplicis iurisdictionis, quas posuit Bartolus in 4. 5. & 6. gradu simplicis iurisdictionis. Illæ enim omnes simplicis sunt & contentiosæ iurisdictio-

nis, & de iure Magistratus competũt, meritò itaque in hoc gradu illas reponimus.

## De quarta iurisdictionis specie specialiter tributa, quæ imperio non accedit.

### SVMMARIA.

1 *Iurisdictiõis generis quarta species declaratur, quæ neque imperium est, neque simplex iurisdictio. sed alia diuersa species ab illis, prorsus distincta & separata. Eius definitio, num. 2. & differentia à mero & misto imperio, & à simplici iurisdictione dicitur, num 3.*

4 *Iurisdictionis quatnor esse species, non autem tres, probat quatuor modis.*

### CONCLVSIO XXIIII.

QVartam iurisdictionis speciẽ à nostris Scribentibus adhuc incognitam afferemus.

1 Ex his quæ in hoc iurisdictionis tractatu abundè iam docuimus, quartam iurisdictionis speciem superesse necessariò colligitur. quoniam multæ & propè infinitæ sunt causæ, quæ iuxta nostras definitiones, imperij meri, misti, aut simplicis iurisdictionis esse non possunt: quas tamen constat iurisdictionis esse, & à iudicum authoritate pendere. vt meritò restet quarta iurisdictionis species. quam Iuris interpretes non discernentes, eius naturam misto miscuerũt imperio. ideò Cirpo (quod est in prouerb.) nodum iniecerunt: & rei, natura claræ & perlucidæ, tenebras effuderunt, & iurium inexplicabili laberintho se inuoluen-

nolentes, ab eo se explicare non valuerunt. quæ iurium repugnantia & inextricabile illud laberinthum, cognita & enarrata hac iurisdictionis quarta specie, cessabunt.

Itaque est quarta iurisdictionis species, quæ neque imperium est, neq; iurisdictio simplex: sed alia diuersa iurisdictionis species ab imperio, & iurisdictione simplici prorsus distincta & separata. quæ plures causas comprehendit, quàm simplex iurisdictio. & latiùs vagatur, & se extendit, quàm merum vel mistū imperium. vt in sequenti conclusione demonstrabimus.

Hanc itaque quartam † iurisdictionis speciem sic definiuimus, vt sit iurisdictio ciuilis, quæ imperio non accedit, lege, Senatusconsulto, vel à Principe specialiter tributa. 2

Differt † autem hæc quarta iurisdictionis species à mero imperio. quia meri imperij iurisdictio prorsus criminalis est: illa autem omninò ciuilis. Differt etiam à misto imperio, quoniam in misto, iurisdictio ciuilis inest imperio, & ei accedit, & ancillatur vel famulatur. vt docuimus abundè superiùs in 3. conclus. num. 4. & num. 7. & conclus. 8. num. 3. & 5. Sed hæc quarta species iurisdictionis nulli inest imperio, aut illi accedit vel famulatur: sed per se subsistit, & propter seipsam principaliter interponitur. Differt etiam à simplici iurisdictione: quod hæc iure magistratus competit: illa specialiter lege, Senatusconsulto, vel à Principe tribuatur. 3

Reliquum est, † vt iure probemus, quatuor esse iurisdictionis species, & nō tres duntaxat, quémadmodum quotquot Iuris interpretes sunt, hactenus existimauerunt. Id autem probamus, primò ex definitionibus & causis iam dictis meri & 4

misti

misti imperij, ac simplicis iurisdictionis. ex quibus certum fit, quartam iurisdictionis speciē necessariò superesse. cùm multæ & propè infinitæ sint causæ, quæ veris existentibus nostris definitionibus, (quas veras existimamus:) neque meri, neque misti imperij, aut simplicis iurisdictionis esse possunt. Sunt igitur alterius generis, vel speciei iurisdictionis. vt necessariò restet alia iurisdictionis species, sub qua illæ causæ contineantur. Erit igitur hæc quarta species iurisdictionis ab Scribentibus adhuc incognita.

Secundò probatur ex l.1. de offic. eius cui. vbi omnis iurisdictio aut specialiter tribuitur, aut iure magistratus competit. sed illa quæ specialiter tribuuntur, nō possunt iuxta definitiones nostras, omnia esse meri vel misti imperij, aut simplicis iurisdictionis, quæ iure magistratus competit. erunt igitur alterius generis vel speciei iurisdictionis, & sic quartæ speciei iurisdictionis.

Tertiò probatur ex l.muto. §. tutoris datio, de tutel. vbi inquit Vlpian. ibi, Tutoris datio, neque imperij, neque iurisdictionis est, sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatusconsultum, vel Princeps. ecce textum expressum, clarum, & indubitatum, quomodo causæ ciuiles, quæ nominatim & specialiter à lege, Senatusconsulto, vel à Principe tribuuntur, non sunt neque imperij, neq; iurisdictionis simplicis: sed sunt alterius speciei iurisdictionis, quæ proprio nomine caret, & quæ competit ei soli, cui specialiter lex, Senatusconsultum, vel Princeps hoc dedit. quæ est quarta species iurisdictionis, quę specialiter tribuitur. quæ non est neque imperium merum, nec mistum, quoniā à quo remouetur imperiū genus, singulas eius species remoueri quoque

que necesse est. l. si quid earum. §. interemptum, de lega.3. Ideò non erit nec merū nec mistum imperium, vt falsò ibi existimat gloss. cuius interpretatio destruit textum. ideò vt Aurelia reijci debet. & illam latiùs superiùs reprobauimus in conclus.11.ibi, An datio tutoris sit misti imperij.

Quartò, probatur nostra conclusio: quoniā pręsides ex eorum officij vel administrationis collatione, habent merum & mistum imperium, & simplicem iurisdictionem. & tamen eis nominatim, vel specialiter fuit tutoris datio commissa & tributa. vt de Attiliano tutore, in princip. & §. sed hoc iure, in Inst. & in l.1. & in Rubr. de tutor. & curat. dat. ab his. Ergò cùm specialiter & nominatim lex, ius dandi tutorem præsidibus concesserit, sequitur quòd ex eorum ordinaria iurisdictione meri & misti imperij, & simplicis iurisdictionis, ius dandi tutorem præses non habebat: alioquin superflua fuisset permissio specialis à lege. Quæ sententia fuit originaliter Iacobi de Aret. & Oldra. in d. §. tutoris datio. In quorum sentētiam inclinant Alberic. & Raph. ibi. & nos quoque.

## *SVMMARIA.*

1 *Iurisdictionis quartæ speciei, sex enumerantur gradus.*

2 *Iudex ordinarius efficitur delegatus, etiam in causa, quæ est de eius iurisdictione ordinaria: si Princeps illi rescripserit, vt in illa causa procedat ex sola Principis authoritate.*

3 *Iudex ordinarius efficitur delegatus in modo procedendi, in causa ordinariæ suæ iurisdictionis, quando principali rescripto iurisdictio eius ordinaria, in modo*

*modo procedendi, tantùm fuit alterata. & cuius effectus sit tale rescriptum.*

## CONCLVSIO XV.

OMNES causæ † huius quartæ speciei iurisdictionis specialiter tributæ, sex gradibus commodè distribui possunt.

1 In primo gradu collocamus oẽs causas supremi imperij, Principi reseruata. quando Princeps nominatim & specialiter illas, aut aliquas ex illis committit aliquibus expediendas. Siquidem quibus hoc à Principe demandatur, ex hoc speciali mandato, iurisdictionem & potestatem in rebus mandatis gerendis consequuntur: & in re mandata authoritate mandantis vtuntur. sicut comites Palatini, & ij quibus ius creandi Tabelliones Princeps mandauit, aut aliud faciendum vel explicandum, quod erat de regalibus, & Principi reseruatis. Nam tales delegati, in rebus mãdatis, consequuntur potestatẽ à Principe delegatam, & iurisdictionẽ in rebus delegatis. Et quoniam illa, quæ delegãtur, sunt de regalibus, meritò occupãt primum gradum, cùm sint supremæ potestatis.

2 Secundo gradu † reponimus causas, quæ sunt de ordinaria iurisdictione iudicis: in quibus iudex procedit nõ ex potestate ordinaria, sed ex delegata à Principe in illa causa, quæ erat de eius iurisdictione ordinaria. vtputà quando Princeps rescripsit, vt procedat in illa causa authoritate sola Principis. quoniam tunc, vt rescriptum Principis aliquid operetur, de ordinario efficitur delegatus in illa causa, & suspenditur iurisdictio eius ordinaria: & solum proceditur ex delegata, vt rescriptum aliquid operetur, gloss. in c. hi qui, de

de præbend,lib.6. Panormit.Felin.& Docto.communiter in c.licet,de offic.ordinarij.Bald.& Iaſ. in l.ius ciuile,de iuſt.& iur. Ang.& Alexand.in l. quia,de iuriſd.omn.iud. & probaui fuſiùs in deciſ.Prouinciæ,cauſa 8.q.1.num.5.& 6.

In tertio gradu,locamus omnes cauſas huiuſce iuriſdictionis,quæ per libellum expediri nō poſſunt, & in quibus ſolemne decretum parte citata, & cauſa cognita à iudice ſedente interponi debet.de quibus tractatur per Bartolum & Scribentes in l.nec quicquam. §.vbi decretū, de offi. proconſ.& in l.quæcunq; cauſæ cognitionem, de regul.iur.

In quarto gradu ponimus omnes cauſas liberales,& ſtatus,quæ iure actionis expediūtur.quas in 1.gradu ſimplicis iuriſdictionis locauit Barto. in d.l.imperium,col.fin.

Quintum gradum huius iuriſdictionis occupant aliæ cauſæ ciuiles,quæ iure actionis tractantur,excedētes ſummam,de qua ciuitatum defenſores ex ordinaria eorum iuriſdictione poterant olim cognoſcere. Siquidem iure Digeſtorum & Codicis,vltra quinquaginta ſolidos iudicare non poterant.l.1.C.de defenſor.ciuita. Sed iure nouiſſimo Authenticorum vſque ad trecentos ſolidos data eſt illis iuriſdictio. ſed vltra illam ſummam iudicare eſt defenſoribus prohibitum, & maioribus iudicibus ſpecialiter tributum. ideò illas cauſas in hoc quinto gradu collocamus.

Sexto gradu ponimus † cauſas ciuiles, quando pro illis Princeps reſcripſit iudicibus ordinarijs. ex quo reſcripto ordinaria eius iuriſdictio non in totū ſuſpenditur : ſed in aliqua parte duntaxat alteratur.putà quando Princeps reſcribit ordinario iudici,vt ſummatim & de plano cognoſcat de 3

cauſis

causis subditorum suæ iurisdictionis, quando ex ordinaria sua iurisdictione non poterat summariè procedere: sed plenam causæ cognitioné adhibere tenebatur. vnde quoniá in illa causa summatim procedendi, potestatem ex solo rescripto consequitur: ideò in modo procedendi summariè, erit delegatus in illa causa. vnde ab eius sententia interlocutoria debet appellari ad Principé delegantem: licèt à diffinitiua eius sententia debeat appellari ad præsidem: quoniam in modo procedendi solum fuit delegatus, & ordinaria eius iurisdictio alterata, sed in reliquis remanet ordinarius. vt singulariter notat Iacob.Butrig. in l.qui procuratorem dat.de procurator.& eum sequuntur Bald.& Castren.ibi.& Ias.in d.l.ius ciuile, de iust.& iur.& in l.& si prætor. in 1. notab. de offic.eius cui.& latiùs declaraui in d 8.causa.q.1. num.17. Siquidem iudex hanc summatim procedendi potestatem ex eius ordinaria iurisdictione non habet, nec iure magistratus: sed quia hoc nominatim & specialiter principali rescripto fuit ei mandatum, hoc facit. ideò pertinet hoc mandatum ad quartam iurisdictionis speciem. vnde illam in hoc gradu collocamus.

*FINIS*

Tract. Francis. de Claper. De Imperio & Iurisdictione.

## L. IMPERIVM, EX VETVSTO EXEMPLARI.

### VLPIANVS LIB. SINGVLARI DE OFFIC. QVAESTORIS.

IMperium aut merum aut mixtum est. Merum imperium est, habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines: quod etiam potestas appellatur. Mixtum imperium est, cui etiam iurisdictio inest: Quod in danda bonorum possessione consistit, Iurisdictio est: Etiam iudicis dandi licentia.

H IOAN.

# IOANNIS LONGOVALII IN PARISIORVM SENATV causarum Patroni, noua & facilis Introductio in l. Imperium. ff. de iurisdict. omn. iudic.

LEGEM, *cuius caput est Imperium, ab Vlpiano Iurisconsulto editam, & sub titulo de de Iurisdictione omnium iudicum, in Pandectis à Triboniano positam, explicare aggredior: impeditum antea intricatumq; opus, & ab omnibus ferè Iuris Ciuilis scientiæ peritis summa & acri contentione elaboratum. Constat enim, in ea meri mixtiq; imperij ac iurisdictionis disceptationem agitari: Difficilem quidem, obscuram, & imperiosam, atque eo nomine tot commentarijs sinuosisq; voluminibus tractatam, quod amplißimæ Ptolomei Bibliothecæ (si in aceruum congeratur) resarciendæ abundè sufficerent. Mirari autem nec satis possum, nec quotidiè desino doctrinam hãc, quæ paucis admodum legibus circumscribitur, vsque hodie adeò excreuisse, & glossariorum caterua tam latè diffuseq; adauctum fuisse, vt iam confusione laboret sua: id eruditiores non pauci sub ipso statim lectionum suarum exordio testantur & sentiunt, inde torqueri, cruciari, turbariq; toto spiritu ingenuè se prædicant: Et profectò non abs re, meo iudicio: Nempe quum nunc in comperto sit, antiquos iuxta ac neotericos in ipsis rerũ ac verborum definitionibus, velut in ipso (quod aiunt) portu impegisse, nimirum eos in labyrinthum præcipitari oportuit: quo intercepti inuolutiq; eò difficiliorẽ rem ipsam reddiderunt, quò altiùs ad explicandam eam vi-*

*res suas accommodauere. Et quo maiore labore se expedire antea conabantur, eò profundiùs sese impediebant. Nos autem quia nouam, facilem, & planam ad hanc legem, & totius iurisdictionis doctrinam inuenisse viam nobis videmur, operæpretium facturi sumus, si prætermissis glossematum interpretationibus & scriptorum, quæ in hac materia paßim euoluuntur latifundijs, nouo & breui cōmentario omnes eius disceptationis locos explicemus, & eo quem nunc dicimus ordine, elucidemus.*

*Primùm igitur communes approbatas, & longo æuo præiudicatas meri & mixti imperij ac iurisdictionis definitiones enarrabimus, easq; iure & rationibus multis improbabimus.*

*Sequente loco percurremus multas, quas antiqui in hanc legem commenti sunt intelligentias, easq; itidem confutabimus.*

*Tertia parte se offeret noua inauditaq; interpretatio, quam tamen ipse alijs omnibus longè antiquiorem contenderim: vtpotè cum ipsa lege natā & compositam, sed velatā hactenus, abstrusam, & scriptorū sentētijs in exilium missam atq; relegatā. Ex qua posteris tam facilem imperij iurisdictionisq; doctrinam polliceri (absit inuidia verbis) poßim, atq; audeam, quàm difficilis obscura ex antiquorum interpretamentis antea circumferebatur.*

*Posteriore articulo attingemus nonnullos locos per Doctores hic obiter discussos, & ad rem oportunè facientes, in quibus aliqua præter communem aut omnium sententiam tanquàm paradoxa in medium adducemus. His summatim & quàm breuißimè potermus examinatis, hanc disceptationem nostram auspice* Deo Opt. Max. *& bonis (vt aiunt) auibus clausuri sumus.*

*Itaque faueas (rogo) conatibus nostris, optime lector, & nihil nisi perlecto ac plenè perpenso libratoq; opere, iudicato. Nos tibi sub ipsa fronte plurima pollicemur, quæ à doctis emissa, magno applausu paßim exciperentur: à nobis autem in audaciæ temeritatisq; vitium facilè conuertentur. Verùm vtcunque à nobis edita sint, si videbimur tibi in recessu satisfecisse, boni consulito. Si verò montes parturijsse & enatum murem, magnaq; professos, & in paruis nos esse versatos existimabis, ignoscas velim, & quæ legeris surda aure pertranseas. Nolumus enim ingeniis nostris ita blandiri, è tripode Apollinis vt ea prodijsse putemus. Nimirùm omnes (vt inquit Catullus) fallimur, neque est quisquam, quem non in aliqua re videre suffenum poßis. Tantum hoc te obtestamur, atque oramus, vt nos, hoc quicquid est in arduis & difficilibus legum articulis conatus, non asperneris, aut vsquequaq; despicias.*

REPE-

# REPETITIO IOANNIS LONGOVALLII IN L. IMPERIVM, ff. de iurisdictione omnium iudicum.

*SVMMARIA.*

1 *Merum imperium quomodo à Bart. definiatur, atq; inibi quid sit officium iudicis nobile, ex sententia eiusdem Bartoli.*

2 *Mixti imperij definitio ex sententia Bartoli.*

3 *Iurisdictio quid sit ex sententia Bartoli, quid item officium iudicis mercenarium.*

4 *Meri imperij definitio per Bartolum data obiectionibus impugnatur. & nu. 11. & 15.*

5 *Mixti imperij definitio à Bartolo tradita obiectionibus impugnatur.*

6 *Agens ad rem aliquam consequendam censetur etiam actionem intendere ad ea, quæ sunt ad illam preuia.*

7 *Iurisdictionis definitio tradita à Bartolo, obiectionibus impugnatur. & num. 17.*

8 *Restitutio in integrum sitne iurisdictionis, etiam obseruando definitionem iurisdictionis à Bartolo traditam.*

9 *Restitutio in integrum, qua potißimùm ratione petatur.*

10 *Iudicis dandi potestatem nonnunquam exerceri in causis meri imperij, atque etiam mixti.*

12 *Animaduersio in facinorosos homines, an tendat ad publicam vtilitatem, & num. 14.*

Mixtum † autem imperium, authore eodem Barto. est iurisdictio, quæ officio iudicis nobili expeditur, priuatorum vtilitatem respiciens. Ponit exempla, tutores dare, in integrum restituere, arrogationi minoris vel emãcipationi aut prædiorum eius alienationi authoritatem prꝯstare, iubere cauere, in possessionem mitt. & pleraque illis similia mixti sunt imperij, cùm ea peragat iudex officio nobili ad priuatorum vtilitatẽ.

Denique † iurisdictio est, quæ expeditur officio iudicis (quod mercenarium vocat) ad priuatorum vtilitatem. Id autem officium tradit idem ipse Bart. esse quod actioni motæ, vel alijs quæ apud iudicem pendent, persecutionibus & cõtrouersijs obsequitur & subseruit. 3

Itaque omnia, quæ iure actionis veniunt & deducuntur in iudicium, iurisdictionis esse ijdem interpretes contendunt. Has definitiones perinde ac sacrosanctas leges Iuris studiosi omnes à Petro & Bartolo approbauerunt, nec ad nostra vsque tempora quisquam hominum inuentus est, qui palàm & aperto marte illas impugnare auderet. Adeò tenebræ superauerant, & cæcitas inualuerat, vt lucis inuestigandæ, recuperandæque spes nulla superesset. Aduertendum autem Commentarijs & Scholijs antiquorum multa, quæ aduersum istas definitiones obijciuntur decerpi & colligi: Quinetiam suboriri quotidiè alias super alias difficultates, quæ quo largius exhauriuntur, hoc scatent vberius, eoque tandem me hercule peruentum est, vt plerique omnes in his definitionibus sibi parum constare videantur.

Primùm itaque † contra definitionem meri imperij obijciunt Alberi. Bald. Salic. & ex recentio- 4

ribus multi, innocentum absolutionem esse meri imperij. l.solent, in princip. ff. de offic. Procons. & legat. exerceri tamen officio iudicis nobili, nô quidem ad publicam, sed ad accusati tantummodò vtilitatem. Si dicas iuxta cum neotericis hic, quando aliquis accusatur, principaliter agi, atque eo accusationem tendere, vt accusatus puniatur: nonnunquam autem accidere vel inopia probationum, aut alia ex causa, vt reus absoluatur, hoc certè erit tacitè fateri, innocentem absolui, non esse publicæ vtilitatis: esse tamen meri imperij, atque ita definitionem labi, nec firmam subsistere. Si verò dicas, absolui innocentem, esse publicitus vtile. l.absentem. ff. de pœn. nam si (vt in ea lege habetur) sanctius est nocentem impunitum relinquere, quàm innocentem damnare: constat nocentem puniri ex vsu esse Reipub. Ergò magis innocentem absolui. Pro solutione afferam, quod postea dicemus in primo nostro aduersum has definitiones argumento.

3 Item † aduersum definitionem mixti imperij facit, quod missio in possessionem est mixti imperij. l.iubere cauere, infrà eod. Atqui exercetur officio iudicis mercenario seruienti actioni: Actione enim coram iudice intentata, se reus potestatem sui non facit, si damni infecti vel legatorum seruandorum causa non caueat, mittitur actor in possessionem bonorum contumacis, toto titul. ff. ex quib. caus. in possess. eat. & alio tit. vt in possess. legat. Dicat forsan aliquis, actorem, dum intentat actionem, non hoc principaliter agere, vt mittatur in possessionem, hoc ingenuè fateor: Verùm iudex, eiusmodi in possessionem bonorum missionem decernit officio suo, quod non potest negari esse mercenarium, cùm actioni

intentatæ seruiat, atque eam mangopere adiuuet.

Præterea † qui nomine cuiuspiam rei certæ ex 6
peritur, cẽsetur ad illam sunt preuia, necessaria,
aut iure accommoda. l. si duo. ff. de acqui. hær. l. 2.
supr. eod. Denique † contra definitionem iurisd. 7
obijciunt omnes, iudicis dandi licentiam exerceri officio iudicis nobili, ad priuati alicuius vtilitatem, esse tamen iurisdictionis, iuxta hanc. l. ad fin. Dicas forsitan, exerceri officio iudicis mercenario, quòd seruiat actioni monendæ coram eo, quia iudex à delegante constituitur. Quæ quidẽ responsio atque solutio, fuit obseruandi præceptoris mei Dom. Francisc. Curtij Papiensis, qui principem in iure ciuili locum dum apud Ticinensem Academiam ageremus, obtinebat. Et nos
† vestigia in hac responsione insecuti sustentaba- 8
mus disputationis tantummodo gratia aliam cõclusionem contra omnium scriptorum sententiam: Nimirum restitutionem in integrum, etiam si Bart. definitiones obseruauerimus, esse iurisdi-
ctionis. Nam † restitutio in integrum eo præci- 9
puè nomine vel à minore, vel à maiore petitur, vt ea concessa, rescissoriam liceat intentare actionem. §. rursus. Instit. de action. & notat amplè Bartol. in l. ab hostibus. §. sed quod simpliciter. ff. ex quib. caus. maio. Itaque concludebam restitutionem in integrũ peti officio iudicis mercenario, quod seruiret actioni rescissoriæ proponendæ, & ea ratione secundùm communes definitiones esse iurisdictionis. Quod si inter disputandum obijcias eodem iure iussus de cauendo censeatur esse iurisdictionis, cùm officio iudicis interponatur, vt postea contra cauentem detur ex stipulatu iudicium; respondebam, iussum de cauendo non

principaliter eo tédere, vt competat actio, siquidem bona præsumptio est cautionem, vel eum qui cautionem dedit, promissis satisfacturum, restitutionem verò in integrum dicebam ad hoc impetrari præcipuè, vt rescissoria actio intentetur. Adde quod huiusmodi iussus, qui est mixti imperij, non solet interuenire, nisi primum aliqua actio intentata fuerit, super qua cauendum sit, & cui cautio ipsa commodum seruiat: quod infra docebimus in expositione l. iubere cauere. infrà eodem. Fucabant præterea eam conclusionem multis coloribus & legum argumentis, quæ si veritatem non adferrent, nubeculas tamen & euadendi occasionem contra sentientibus offundebant. Verùm serio scribenti nequaquam hæc responsio consideratioque noua domini mei mihi satisfecit, neque per eam diluisse videtur aliam difficultatem, aut omnem lapidem sustulisse.

10 Nempe † quod iudicis dandi potestas nonnunquam exerceatur in causis meri imperij. l. 1. in princip. supr. titul. 2. Item in ijs plerumque quæ sunt mixti imperij. l. cognitio. §. 1. supr. titu. 2. Cæterùm in neutro eorum possis dicere, delegationem explicari officio iudicis mercenario, cùm nulla in ijs, quæ meri vel mixti sunt imperij, fit actio secundùm communes definitiones. Multa & penè infinita alia contra suprascriptas definitiones ex commentarijs antiquorum elici & decerpi possunt: sed quibus addere postremo nonnulla è pœnu priuata censuimus.

11 Primum volunt † ijdem interpretes, & hoc in confesso est, merum imperium exerceri ad publicam vtilitatem, eiusque rei præcipuum exemplum afferunt animaduersionem in facinorosos homi-

homines,quod meo iudicio recta ratione recipi non debet.

Etenim si consideremus animaduersionem in facinorosos in genere vtpote leges ferri, quæ dānent facinorosos,iudices constitui, qui eas leges exequantur, obseruarique iubeant, eodem iure opinari debemus,iurisdictionem exerceri ad publicam vtilitatem.

Nam ius dici in ijs,quæ sunt iurisdictionis,est publicè vtile: quod si non fiat secundum leges, & per magistratus, vnusquisque sibi propria auctoritate legem,quam vellet, præscribat, quo fieret, vt infinitæ cauillationes, doli, calliditates,rixæ & seditiones,multæque violentiæ committerentur, ex quibus multa nascerentur facinora l.quoniam multa.C.ad leg.Iul.de vi publ.Si † verò consideremus animaduersionem in facino 12
rosos in specie,Titium puta vel Seium nocentem puniri,credo hanc non fieri ad publicam vtilitatem.Hoc apertissimè demonstratur ex duarum legum collatione,quod est argumentum à I.C.vsurpatum in l.Gallus.§.ille casus.ff.de liber.& posthum. Expeditum est enim rescripta contra publicam vtilitatem impetrata,nullius esse momenti.l.fin.C.si cont.ius vel vtil.public. Atqui rescriptum indulgens crimē reo,& noxæ eum eximēs, valet l.pe.C.de prec.Impe.offer.Quòd si indulgere crimen reo, esset contra publicam vtilitatem, non vtique valeret rescriptum. Adde quod in eiusmodi indulgentia siue gratia solam principis voluntatē consideramus & metimur;quod & scribit gl.cōmuniter & vulgo approbata in l.relega. ff.de pœnis.Quo sanè argumento satis planum fit Titium delinquentem puniri,non esse publicè vtile,cum sola voluntate principis, quàm contra

publi-

publicam vtilitatem niti, non est credibile, vel facilè conijciendum, Titius noxæ eximi, eique crimen indulgeri & remitti possit. Secūdum hoc
13 † innocētem Titium absolui non esse publicitus, sed priuatim vtile, contra ea, quæ in primo aduersus antiquos obiçes dicta sunt; constanter asseuerare possumus: nec prodest quòd lex ait interesse Reipub. delicta non remanere impunita. Item vigorem disciplinæ publicæ exigere vt nocens puniatur: quia in omnibus fere hominum negotijs interest Reip. aliquid fieri vel non fieri in genere; verùm cùm ad singula speciatim descendimus, in his non est, nec versatur publica vtilitas. V. G. Reipub. generaliter interest aliquem nō abuti re sua. §. sed & maior. Instit. de his qui sunt sui vel alie. iur. Atqui si Seius vel Mæuius priuatim non abutatur re sua, in hoc non versabitur publ. vtilitas; sic Reip. interest bona priuatim ab alijs non diripi, sed ius suum vnicuique seruari, bona autem per Sempronium ablata restitui Titio, non est ex vtilitate publica.

14 Planè † non negauerim, Titium aliquem vnum vel Mæuium puniri, aut per sententiam de vita decedere, interdum esse publicè vtilē, vtpote si famosus latro sit, si seditiosus, si turbator quietis publicæ, aut alias tam insigniter sceleratus, vt præsidi mox eum punire, deinde ad principem scribere expediat; cuiusque pœnam nulla remoretur vel intercessio vel appellatio. iuxta l. si quis filio exhæredato. §. quid tamen. ff. de iniusto rupto irrito vel facto testamento. At quemcunque delinquentem puniri & occidi, non est publicitus vtile, sed principaliter, sed ex consequentia: quoniam ex ea correctione obseruantur leges & emendantur homines. lege si pœna. ff. de pœnis.

l. 1. C. ad

l.1.C.ad l.Iul.repetund. Et hoc quoq; sentit Bart. in l.1.ff.soluto matrim.

Præterea † addo aliud argumentum euidens 15
& apertissimum contra communes definitiones. Constat secundum eas potestatem condendi statuta, leges; constitutionesque promulgandi esse meri imperij. Hoc sanè omnibus perplacet, & nemo hactenus inficiatus est. Atqui ea potestas illis sæpè competit, qui merum non habent Imperiũ, sed solam iurisdictionem.

Pono † exemplum in collegijs societatibusq; 16
licitis, & à iure approbatis, quibus sola iurisdictio competit, quod traditur hic & in l.fin.C.de iurisdictione omnium iudicium. Et quas nihilominus constat posse statuta condere, & constitutiones ad corporis negotia pertinentes atque accommodas decernere: & hoc relatum est apud Bart.in l.omnes populi in 1.quæst.princi.ff.de iusti.& iure.in leg.1.ff.quod quisque iur.in al.sta. apud Innocen.in c.cum accessissent, extra de constitut.& gloss.in c.2.de verbor.significatio.libr.6.

Rursum † contra definitionem iurisdictionis 17
facit, quòd si ea duntaxat sunt iurisdict. quæ expediuntur officio iudicis mercenario, quid de ijs iudices, quæ expediuntur iure actionis, non autẽ officio iudicis? cuiusmodi sunt notionis, quæ versantur in actionibus tam realibus, quàm personalibus, aut mixtis. Iudicio meo videntur potissimum ad iurisdictionem spectare & iurisdictiõis dici debere, quòd & verum est, vt infra dicemus. Cæterum constat eas non exerceri officio iudicis mercenario, sed iure actionis: quæ veluti diuersa atque inuicem pugnãtia simul competere vel intendi non possunt l. qui per collusionem. §. fina. ff.de act.empt.& explicabimus latius, cùm de expositio-

positione legis primæ, huius tituli fiet à nobis am-
18 plior commemoratio. Accedat † & aliud quod obijci post Bartolo, partitionem generalis iurisdictionis, quam ipse effingit, non esse generalem, quin potius vno membro truncatam atque in suo corpore deficere. Diuisio enim iurisdictionis generalis secundum ipsum ea est, Nempe si expediatur officio iudicis nobili ad publicam vtilitatem, sit meri imperij, Si officio iudicis nobili ad priuatorum vtilitatem, mixti sit imperij, si verò expediatur officio iudicis mercenario ad priuatorum vtilitatem, sit Iurisdictionis. An non deprehendimus huic partitioni membrum vnum deesse, eorum videlicet, quæ expediuntur officio iudicis mercenario ad publicam vtilitatem? Cuiusmodi sunt populares actiones, & quæ fisci vel reipubli. nomine apud procuratorem Cæsaris vel alibi intentatur. Eas causas Bartol. sua diuisione non compræhendit, quo fit, vt nec leguleis, nec dialecticis ꝓbari eiusmodi partitio debeat, quæ membra omnia non contineat, & in se complectatur.

19 Partitione † (inquit Cicero in Topicis) si vtēdum est, nullam vt partem relinquas, vt si partiri velis tutelas, inscienter facias, si vllam prætermittas. Et Quintilianus libro Institutionum oratoriarum quarto de partitione agens, Obtinendum etiam (inquit) ne quid in ea desit, ne quid supersit. Demum in faciem Bartol. & suorum reijci potest tritum illud & commune prouerbium, quod Iurisperiti inuicē sibi quotidie opprobrij maximi loco obijciunt. Erubescendum videlicet si sine l. loquamur. l. illam. C. de colla. Quis enim inter leges de mero vel mixto imperio mentionem facientes, quæ paucæ admodum sunt, animaduer-

maduertit locum dari nobili aut mercenario officio? Dicas forsitan de causis, quas iudices ex officio debent cognoscere, habemus mentionem in l. placet. C. de peda. iudi. Et ea lex, meo iudicio, nihil Bartolum & suos adiuuat.

*SVMMARIA.*

1 *Intellectus ad l. placet. C de pedan. iudic.*
2 *Iudicem dare, & iurisdictionem mandare, diuersa sunt: atq; inibi quid sit mandare iurisdictionem, quid item iudicem dare.*
3 *Iudicem dari posse ab eo, cui iurisdictio mandata est: quamuis iurisdictionem sibi mandatam alteri mandare non possit.*
4 *Iudex datus iudicem alium dare non potest, nisi à Principe datus sit.*
5 *Appellari ad quem debeat à sententia eius, cui mãdata est iurisdictio: item etiam à sententia eius qui datus est iudex, & nu. 7.*
6 *Iurisdictione per principem mãdata, eandem potestatem transferri, qua iudicibus ordinarijs per legem conceditur.*
8 *Appellari ad quem debeat à sententia eius, qui à principe delegatus est.*
9 *Intellectus ad l vnicam. C. qui pro sua iurisdictio.*
10 *Mandare cognitionem alicuius causæ quid sit, atque inibi quod dare iudices pedaneos nonnunquam Vniuersitatem causarum alicui committere.*

VERVM † quia Bart. & alijs visum est inter rescripta Imper. difficilius illo vel obscurius nullũ aliud reperiri: putaui in ea l. placet. obiter & aliquãtulũ immorãdũ, atq; lumẽ veræ intelligentiæ Imperatoriæ legi ꝓ virili nostra

esse

esse adferendum; quàm antiqui simul atque recẽtiores plenè percepisse non videntur. Nos si eam assequamur eruditorum erit iudicium. Aduertendum autem ad nonnulla existimaui, quæ ad iurisdictionis doctrinam magnopere faciunt, & multas in ea regulas traditionesq; perstringunt. Pri-
2 us est,† latissimum à I.C. poni discrimẽ inter eos, quibus mandata est iurisd. & datos iudices. Nam mandare iurisd. iudex dicitur, qui iurisdictionẽ suam omnem, vel speciem aliquam delegat, & generali causarum suarum cognitioni aliquem præponit aut committit, & ij quibus ita generaliter iurisd. data incumbit, mandatam iurisd. habere à legibus existimantur. In qua opinione est gl. in l. 1. §. fin. sup. tit. 2. Dare autem iudicem est, aliquem in vnius causæ vel articuli tantummodo exercitatione delegare, atque specialiter committere. Istud discrimen probant aliquot leges, nimirum l. vlti. supr. tit. 2. l. more. infr. eod. & leg. cùm præ-
3 tor. §. 1. ff. de iudici. Ex quibus elicias,† eum, cui mandata est iurisdictio, non posse eam alteri demandare, posse tamen in aliquibus caussis iudicẽ dare. facit. l. legatus. ff. de offic. Procons. & lega. quam affirmatiuè legendam indubiè arbitror, & ibi gl. satis innuit: atque eam absque negatione legi in archetypis Florentinis affirmat Ange. Politianus, cui assentit eruditissimus omnium ille noster Budæus in suis in Pandectas annotationibus, iuxta quod est communis sententia Doctorũ in d. l. more. quæ sentit, delegatum ad vniuersitatem causarum posse delegare. hoc est, iudicem da-
4 re, non autem posse mandare iurisd. Datus † autẽ iudex omnino alium iudicem dare nõ potest, nisi à principe datus sit. l. à iudice. C. de iudic. Adde rursus ad confirmationem huius differẽtiæ quod
ab

ab eo † cui mandata est iurisdi. is qui mandauit, 5
non appellatur, sed superior mandatis. Diuersa
autem causa est in eo, qui datus est iudex: quoni-
am ab eo iudex proximus, & is qui dedit prouo-
catur l.1.in princi.& §.1. & l.3. ff. quis & à quo ap-
pell.l.præcipimus. §. 1. in verbis (vel vicarijs) &
§.hæc si appellat.C.de appellat.Hinc summorum
Pontificum decretis legimus sancitum, ne ab of-
ficiali Episc.appelletur Episcop. c. 3. de consue.l.
6.quod officialis Episc.mandatam iurisd.habere
dicatur.c.licet de offi.vica.l.6. Præterea quemad-
modum iure ciuili non est liberum, mandatam iu
risdi. alteri demandare, sic per pontificios cano-
nes vicarijs generalibus siue officialibus non est
permissum tenere & inconsulto Episcopo alios
vicarios generales officialesq; constituere. c. cle-
ricus.ext.de offic.vica.vbi Abb.Panor.& hoc ap-
probat Card.Zabarel.post multos in Cle. vni. de
offi.vica.in 19.q.Puto autem eos quibus mandata
est iurisd.iure dici vicarios, loci seruatores, siue
locum tenentes, ac vices agentes.

Proinde † aliquando accidit à iudicibus illos 6
non committi, sed à principe loco & vice iudi-
cum.Quo fit vt omnimoda vtantur potestate, quę
iudicibus à lege conceditur; possintque omnia
exercere, quæ specialiter lege, Senatusconsulto,
vel Principum constitutione magistratibus, in
quorum locum substituti sunt, tribuuntur.l.vlti.
vbi Barto. C.de offi.eius qui vi.alte.ge.Idem Bar-
to.in l.1.§.2.quibus.ff.de lega.2.Tenet etiam Paul.
Castren.in l.2.sup.tit.2. adde l.1.ff.de tutor.& cu-
rato.de ab his.Sic per totã Galliam à Rege Chri-
stianissimo constituuntur iudices, quos Balliuo-
rum, Seneschallorum vel gubernatorum locum
tenentes vulgo appellare solemus: qui parem &

æquam per omnia balliuis habent potestatem. Balliui enim sunt qui iure ciuili Præsides, Proconsules, legati Cæsaris, vel prouinciarum rectores appellantur: Atque ei dignitati non sæpè alij, quàm proceres in summa auctoritate, dignitate vel nobilitate constituti, aut Tribuni militum qui equitibus aliquot præsunt, à Rege præficiuntur: quatenus maiori terrori malis hominibus per totam prouinciam suam magnitudine existant: ac Regis mandata, curiarumve, (quæ Parlamenta vocant) aresta & iudicia vel manu armata militariuè (si decretum sit) exequantur. legati autem eorum vel locum tenentes omnimodam in prouincia exercent iurisdicti. non in ciuilibus modo iudicijs, verum etiam in criminalibus. Hoc amplius Senatusconsulto sæpè pronunciatum est, balliuos, seneschallos vel gubernatores, nihil quod caussæ cognitionem exigat, pro tribunali decernere, nullumque iudicium citra locum tenentis consilium ferre posse: nisi docti sint, litterati, & qui iura ciuilia nouerint: tametsi omnia acta decretauè nomine balliuorū inscribi promulgarique pluribus itidem senatus decretis extat constitutum; & Ambianorum prouinciæ, præsidis legato, ne aliter attentaret, vetitum, pronuntiante summo illo iudice nostro Petro Lizeto ipsi audiuimus.

6 Quod autem diximus † ab eis quibus mandata est iurisdictio, non prouocari mandantes, sed eorum superiores: receptum non est in legatis Proconsulum, qui licet mandatam iurisdictionem habeant, proconsulem nihilominus consulunt non principem. l. solent. §. legatos. ff. de offic. procon. & lega. & à legatis proconsules appellantur. l. 2. ff. quis & à quo appell.

Item

Item intelligamus eam regulam procedere, quando iudex generaliter omnem suam iurisdictionem alteri mandat, iuxta l. solet. & l. prætor. infr. eodem. Quod si aliquas caussas generaliter vel speciem aliquam suæ iurisdictionis tantummodo mandaret, quomodo solent præsides humiliores caussas pedaneis iudicibus demandare? hic putarem ab his, quibus iurisdictionis portio mãdata est, appellari mandantes. Et ita sentit Barto. in d.l.1.§.fi.ad fi.ff.quis & à quo appell.

Quem tamen eo in loco per omnia nõ sequor, nec multos, qui sententiam eius amplectuntur. Nam quod Bartolus & sui distinguunt, an vicarius in eodem sedeat tribunali, an in alio, iuris succum habere mihi non videtur. Sed & hoc tantum aduertendum est, num iurisdictio omnis mã data sit, an pars ipsius, si enim pars iurisdictionis mandata sit, vel in eodem tribunali exercenda; erit mandans appellandus: Si verò iurisdictio omnis, superior mandantis. Hoc collige ex §. sedebant. versic. illo custodiendo. Authent. de iur. vbi à pedaneis iudicibus, quibus humiliorum causarum mandatur cognitio, appellatur pręses, vel alius iudex, qui pedaneos iudices dederit. Denique † huc pertinet, quod per Pontificum canones 8
ex rationibus iuris ciuilis depromptos constitutum videmus, nam si delegatus à principe, aut summo pontifice caussam omnem sibi delegatam alteri subdeleget, non delegatus, sed princeps à subdelegato appellatur. Secùs autem dicendum erit, si partem aut aliqua in causa emergentia delegauerit. Ibi enim à subdelegato delegatus appellabitur. c. super quæstionum. §. porro. extr. de offi. delega.

Ex † cuius §. porro dispositiõe & doctrina puto 9

l.vn.ad fin.C.qui pro sua iurisdictione, esse variandam & declarandam. Nam si delegatus principis totam causam subdeleget, (ad nos) in ea lege legendum erit, si vero partem: scribemus (ad eos de iure remeabit appellatio.) Nec dicas secundũ gl.in l.imperatores.prim.respon.ff.de appella.aliud iure ciuili, aliud pontificio decerni; quia diuersitas hæc nullo planè innititur fundamento. Supradictum autem.§.porrò.videas obiter declaratum per multos alios canones, nimirum per c. quamuis.c.si delegatus.§.si is cui, & c. si à delegato.de offi.delega.libr. 6.ex quibus habes in materia delegatiõis aliquot vtiles regulas & leges ac multas declarationes in illum §.

Hæc circa discrimen istorum verborum mandare iurisdictionem, & dare iudicem, magni quidem meo iudicio facienda, vt quæ non sanè ab interpretibus legum intellecta & animaduersa, mirum est quot laqueis, gryphis phantasticis in d.l. more.d.l.cùm prætor.§.1.& in multas alias leges alioqui faciles, expositionibus eos implicuerunt atq; inextricabiliter insinuauerunt. Non omitto tamen verba supra dicta ex alterius verbi vicinitate & orationis structura, ac pro subiecto argu-
10 mento interdum confundi.† Si quidem mandare cognitionem alicuius caussæ est specialiter in aliqua causa dare iudicem. l. 1. in principio ad finem supra de officio eius. Vicissim dare iudices pedaneos, est causarum vniuersitatem aliquibus committere, vt hac l. placet. in princi.& plenius explicabimus postea. Et generaliter dati iudices illi dicuntur, quibus est mandata iurisdict.l.fina. ad finem C.vbi & apud quem.

SVM-

SVMMARIA.

1 *Pedanei iudices qui sint in iure, & nu. 4.*

2 *Intellectus ad l. 3. § si quis ad pedaneum. ff. ne quis eum qui in ius vocat. est vi eximat.*

3 *Iudices aut Senatores pedanei seu etiā pedarij qui dicantur apud Oratores.*

5 *Iudices aut præsides an & quatenus iure nouissimo vices suas alijs demandare possint.*

6 *Intellectus ad l. placet. C. de pedan. Iudicib.*

7 *Causam status delegari non posse, & quæ sit huius ratio.*

8 *Intellectus ad Authent. ad hac. C. de iudici. & nume. 10.*

9 *Assessoribus & consiliarijs non licebat iure Digestorum ferre sententias*

11 *Intellectus ad l. 2 ff. de offic. eius cui mandata est iurisdictio.*

12 *Merum imperium quid sit, quid item mixtum, & quid iurisdictio ex sententia Speculatoris.*

SECVNDO scire † expedit, qui sint pedanei iu- 1
dices. Iure enim Pandectarum & veterum Imperatorum non dubito, pedaneum iudicem vocari iudicem datum seu ab alio delegatum. l. prætor. ff. de tuto. & curat dat. ab ijs, vbi prætor se iudicem pedaneum constituere non potest, quæ lex Vlpiani translata est ab eodem sub alio tamē verborum contextu. in l. vltim. ff. de offic. pretor. vbi prætor se specialem iudicem, hoc est, pedaneum dare non potest, facit. l. 1. §. remouet. vers. Item Senatuscon. ff. de postul. l. si quis aliquid. §. iudices pedanei. ff. de pœn. quem locum inter Iulij Pauli I.C. sententias positū sub tit. ad l. Iul. re-

pet.libr.5.inuenimus. vbi interpres antiquus pedaneos iudices pro ijs, qui ex delegatione caussas audiũt, rectè meo iudicio accepit. Adde legẽ placet, de quanũc agimus, & l.penul.de peda.iud. † Item l. 4. §. si quis ad pedaneum. ff. ne quis eum qui in ius voc.est vi exi.quæ habet, ex edicto pretoris eum non teneri qui ad pedaneum iudicem vocatum quem vi eripuerint. Qua autem ratione id à I. C. sit constitutum, neminem ex nostratibus adhuc inueni, qui mihi faceret satis, & pauci quidem in eam rem se implicuerunt. Tantisper vnam (ne extra rem meo iudicio) à nobis accipies, dum melior aut verior è Doctorum pœnu tibi succurret. Ecce omnium actionum instituendarum initium ab in ius vocatione proficiscitur: quam ad iudicem ordinarium & competentem, nõ autem ad delegatum pedaneumve fieri æquũ est. Etenim cùm in ius vocatio ab eo, qui petitoris partes sustinet, postuletur: absurdum est eius suggestu iudicem dari, ad quem reus appelletur. Quin potius obseruandum lex ait, ne is iudex detur quem altera pars petierit, idque iniqui exempli esse, diuus Adrianus rescripsit. l. obseruandũ. ff. de iudic. Non igitur à iudice iudex dari debet (atque id maxime hoc iure Digestorum) antequam litigantes iudicio se stiterint, communiq; consensu iudicem postulauerint. l.1. sup. eod. in verb. iudices litigantibus dare. Itaque cùm personæ, quæ in ius vocari non possunt, item quæ ad iudicem minus competentem vocantur, vi eximi citra edicti violationem queant. l. 1. & 2. eo ipso tit. ne quis eum qui in ius voca. meritò dicemus, vocatum ad iudicem pedaneum, qui antequam partes in iudicio conuenerint, actoris rogatu minus legitimè datus est, impunè eximi posse. Hæc

de Iure-

de Ireconsultorum veterumque Imperatorum pedaneis iudicibus qui ex delegatione causas audiebant. Apud † Oratores verò pedanei siue peda- 3
rij iudices vel Senatores erant, qui pedibus in aliorum sententiam ibant. Nam cùm de re modici momenti Senatusconsultum habebatur, tum non rogabantur suffragia & voces singulorum, sed dicta à paucis sententia alij exurgebant, ad eius se locum transferentes, cuius sententiæ se confirmabant. Atque ita per discessionem fiebat Senatusconsultum. Vel pedarij dicebãtur, qui à pedibus ibant in Senatum: cùm vtique Magistratus curules & maioribus honoribus functi curru in Senatum veherentur. De hac tractat abundè Budæus in l.vlt.ff. de Sena. Verùm dum Gellius in noctibus Atticis pedaneum iudicem barbarè dici animaduertit, non omnino sane ei assentior. Nam sic scriptum in Pandectis & legibus quas supra citauimus reperi, ex quibus me hercule latinè loqui didicisse, neminem vnquam pœnitebit. Præterea momentaneum, temporaneum, coëtaneum, & plæraque id genus alia, pari analogia scribi, & latinè dici, passim videmus.

Successit † postea noua species pedaneorum 4
iudicum à recentioribus Imperatoribus inuenta, & per authẽticas eorum leges introducta, quorum officium est, de humilioribus causis ius dicere & cognoscere. Vbi enim recentiores illi Imperatores, potestatem mandandi iurisdictionem præsidibus rectoribusque, ac alijs iudicibus ordinarijs ademerunt (quod infra docebimus) vicissim facultatem pedaneos iudices dandi, humiliorũ negotiorũ caussa illis concesserunt, hoc vult expresse l.vlti.C.de peda.iudic. Contra quẽ sensisse mihi videtur vir iuxta elegãs ac eruditus

Andreas Alciatus Mediolanensis suis in paradoxis lib.2.cap.2. dum pedaneos iudices ab ordinarijs constitui in vrbe tantummodo Constantinopolitana asserit:id enim hæc lex vltima omnibus præsidibus indistinctè permittit. Humiliora autem negotia ab Imperatore Iustiniano perscripta sunt & definita, quæ trecentos aureos non excederent.§.audient.in Authen.de iudic. Quo in tit. multa ipse de pedaneis iudicibus, quos quotidie de mane ad vesperam vult & statuit sedere pro tribunali, ac de humilibus caussis disceptare. §. sedebunt.eod.titu. Hodie apud nostros in ciuitate Parisiensi pedanei iudices dici possunt, quos auditores Castellati vulgo appellamus. Quorũ iurisdictio regalibus edictis non amplius quã ad viginti librarum summam ascendit & protenditur. Quinimò si contigerit eorum sententias aliqua prouocatione suspendi, hæ à præfecto vrbis, quem Præpositum dicimus, seu eius legato, quem locum tenentem appellamus, vel ratè habentur, vel iustitia exigente corriguntur.

Tertiò † pro intelligentia d.l.placet, aduertendum est ad vnam iuris antiqui abrogationem per authenticas leges introductam: Testatum enim iure Pandectarum manet, Iudices temerè & sine causa iurisdictionem potuisse mãdare.l.1.in princip. supr. titul.2.l. solet.& l prætor.infrà eodem. quod innouatum est & immutatum per recentiores Imperatores: quorum Nouellis constitutionibus sancitum est & cautum, ne iudices vel pręsides constituant aliquos sui loci servatores, aut vices suas agentes, hoc est, ne iurisdictionẽ suam mandent, nisi statis casibus & expressis in Authẽ. de colla.§.ad hoc sancimus.facit titulus vt nulli. iudi.lice.habe.Io.Serua.adde §.nulli.in Authent.

vt

vt iudic. sine quo suffragan.§.nulla, in Authen.de defensor.ciuita.§.eos, in Authen.de manda.Princip. Pedaneos verò iudices in humilioribus abiectioribusque causis constituente eis temerè & passim permissum est per d.l.vlt.C.de peda.iudic. & est constitutio Iustiniani in Auth.de iud.

His † ita prælibatis. l. placet hoc clarè & ad verbum vult atque exprimit: Nempe præsides, qui magnis causis tenentur adesse, cognitionemque earum per constitutiones recentiorum Imperatorum mandare nequeunt, sed tantummodò humiliorum (vt dictum est) non posse constituere iudices pedaneos in magnis causis in casum impedimenti, & eo nomine quod de his cognoscere non possunt: hoc est, non posse mandare generaliter iurisdictionem, & maiorum negotiorum cognitionem pedaneis iudicibus in casum impedimenti, atque ea conditione, vt iudices eo modo generaliter dati, possint cognoscere de maioribus causis, præsidibus aliquo impedimento occupatis. Quando autem casus euenerit, quo per publicas occupationes, vel causarum multitudinem nõ liceat præsidibus, causarum maiorum notioni vacare, in eis dent iudices, hoc est, illas causas particulatim, expressè & speciatim delegent. Itaque vberioris declarationis gratia Imperatores in d. l. placet. id statuunt, vt quamuis præsides in leuioribus causis possint temerè pedaneos iudices constituere, id tamen eis non liceat in arduis in casum impedimenti, sed cùm iusta occupationis causa acciderit, dare possunt speciales iudices in illis maioribus causis, quarum cognitionẽ ex causa impedimenti non possunt suscipere. 6

Hoc autem limitat & restringit eadem constitutio, vt nõ procedat in magnis causis, quas ex

officio suo (non intelligas nobili vel mercenario, sed expone ex officio suo, hoc est, per necessitatē & solicitudinem officij sui) solebant cognoscere, vtpotè quia specialiter & nominatim in eis à lege, Senatusconsult. vel Principum constitutione demandatæ sunt, & officio eorum iniunctæ, iuxta l. 1. in princip. ff. de offic. eius. quam & nos posteà explicabimus. In illis enim non est liberum præsidibus propter publicas occupationes, vel causarum multitudinem dare iudices, qui ex eorum delegatione terminent eas & definiant, Itaque intellige hunc versic. in omnibus causis, quæ specialiter alicui conceduntur, non autem in mixto imperio, tametsi aliter visum fuerit Andr. Alciato in suis paradoxis. Addunt hic † Imperatores causas status non posse etiam propter publicas occupationes aut caussarum multitudinem delegari. Cuius quidem sanctionis hæc euidens causa est, & optima ratio, quòd videlicet huiusmodi causæ per maiores iudices tractari debent, l. penu. & fin. C. vbi caus. stat. agi deb. l. si pater. C. ne de sta. defunct. Et causa meri imperij, quod ad cognitionem earum pertinet, à iure æquiparantur. l. non distinguemus, §. Iulianus. & §. de liberali. ff. de ar. c. causa, ext. de arb. Deinde ijdem Imperatores subdunt in ea l. placet. licèt in magnis causis non possint præsides dare iudices pedaneos in casum impedimenti, sed tantummodò iudices speciales constituere, ex hoc iudicio eorum in aliquo diminuta esse non censentur, cùm per eam constitutionem expeditioni causarum non præcludatur via.

Dicas forsitan contra hanc nouam expositionem, præsidibus & iudicibus non licere hodie & iure Authent. dare iudices in maioribus causis, &

trecentos aureos excedētibus, etiam ex causa iusti impedimenti, nisi reseruatis illis, de quibus Imperator in Authent. vt defunct. seu fund. §. illud. Quæ † constitutio transscripta est in Authen. ad hæc. C. de iudic. At miror me herclè Bartol. & Bald. & penè infinitos alios tam apertè in ea constitutione hallucinatos, dum eā de delegatione mentionem facere opinantur. Atque eos multò rectiùs sentire putauerim, qui asseuerant eam post venerandum nostrum Petrum Citramuntanum (quem refert & sequitur Paulus Castren. in d. Authent. ad hæc.) locum sibi vendicare in assessoribus, qui consiliarij dicuntur. l. consiliarijs. ff. de offic. assesso. Et qui teste Barto. in l. 1. ff. de offic. assess. nullam iurisdictionem habebant, sed tantummodò consilium in definiendis causis iudicantibus impertiebantur. Vult ergò & decernit Imperator ea constitutione ordinarios iudices & delegatos, non ita fidem habere, abutique posse suis assessoribus, vt eis permittant omnem & totius causæ cognitionem, sed saltem de ea cognoscant sub ipsa litis contestatione probationibus audiundis, & sub ipso ferendæ sententiæ calculo. Cætera autem iudicij præparatoria consiliarijs liceat absente magistratu expedire. Ita intelligendam eam constitutionem probat Rubr. titul. vnde excerpitur, quæ habet, vt defun. feud. fu. &c. & vt consilij non suscipiant cognitiones absq; iudicibus. Eò † spectat quod iure Digestorum assessores & consiliarij non ferebant sententias. l. metū. §. sed ex facto. ff. de eo quod met. caus. vbi Vlpiano assidente, hoc est, consilium præbente prætor tulit sententiam. Idem quoque probat l. Cornelia. ff. de iniur.

Sic hodie solent assidere in Gallia antiquiores aduo-

aduocati, qui iudicibus in explicandis pro tribunali causis, & leviusculis expeditionibus interlocutionibusque consilio adsunt. Quinimò antiquissimus eorum quæ ad ordinem iudiciariũ pertinent, plerumque loco iudicis exequitur. Ad testium autem receptionem, iudiciorũmve definitionem, quæ pro tribunali summatim non discutiuntur, non licet ei partes suas interponere, nisi infirmo absente, aut alias legitimè occupato magistratu.

15 Item contra † communem scriptorum in d. Authent. ad hæc. expositionẽ, facit constitutio Summi Pontif. in c. super quæstionum, in princip. ext. de offic. deleg. quæ delegato permittit omnes partes iudicij, siue coniunctim, siue diuisim subdelegare. Verius ergò est & probabilius, constitutionem in Auth. ad hæc. positam, mentionem facere de assessoribus & consiliarijs, non autem de iudicibus delegatis: quod nõ probè opinati sunt Barto. & Bald. & plerique alij.

11 De istis † consiliarijs loquitur etiam l. 2. sup. titul. 2. quæ vetat eum, cui mandata est iurisdictio, consilium exercere, hoc est, assessorem, vel expone exercere consilium clientorum, id est, esse aduocatum, & postulare pro clientibus. Inconueniens enim esset & absonũ, eum, cui iudex mandauit iurisdictionem, hoc est, vicarium iudicis ordinarij (siquidem mandare iurisdictionem, vt suprà docuimus, est generaliter omnium caussarũ cognitionem committere & delegare) esse assessorem, vel patronum in causis, quarum cognitio generali delegatione ei committitur. Hæc expositio obiter data illi l. 2. mihi sanè probabilior videtur, & plus verbis arridere, quàm communis illa gloss. & Docto. abrupta sanè & somnio plena,

quæ

quæ de consilio manumittere volentibus præbêdo Iurisconsultum agere satis extra rem,& longè à proposito sensit. tamen eam sequuutur aliqui studiosi, veritatis indagatores, & certè doctissimi inuêtores. Præterea legatum Proconsulis,cui mandata est iurisdictio, manumittere volentibus præbere consilium, probat l.apud Proconsulem.ff.de mand.viri. & gloss. in l.2. ff.de Procons. & legat.

Ecce habes,optime lector,nostram in l.placet, interpretationem,ad quam multi multa, nos paucis sententiam nostram tibi exposuimus. Demùm ne superfluis te disputationibus oneremus, non immorabimur amplius,ne potius immori videamur in definitionibus iurisdictionis & imperij reprobandis. Nam immensum opus esset,& fastidio plenissimum, omnia sigillatim referre,quæ à Docto.circa has finitiones affutiuntur, in quibus tot scrupulos, tot griphos, tot denique enthymemata accumulant, ac sibi nulla in parte satisfaciant, & quo magis in lucem emergere disputando conantur, ea profundioribus tenebris plerumque se submergant.Non putaui autem prætermittendum ante tempora Barto. alias mero mixtoq; imperio ac iurisdict. datas finitiones inualuisse, nimirùm illas Guilielmi Durandi, quem vulgò Speculatorem appellamus, qui vim verborum propius Bart.& sectatoribus eius speculatus mihi fuisse videtur.

Dixit † enim in Rubr.de iurisdict. omni. iudic. 12 versic.notandum. Merum imperium est quædam summa potestas,per quam ea quæ sunt iurisdictionis maxima explicantur, & dici merum asserit, quia separatim à cognitione pecuniaria parùm abest,quin Speculator rectè speculatus fuerit:ve-

rùm

rum dum in hac lege non definiri merum imperium arbitratur, longè lateque sua fallitur opinione. Mixtum autem imperium (dicit ipse) est, cui non solùm merum imperium, sed etiam iurisdictio est: vel est potestas media, per quam ea, quæ sunt iurisdictionis media explicantur. Ipse verò non contentus stare in his finitionibus, atque inconstantia moræ posteà eodem titul. versicul. ex præmissis, tradit alias definitiones: Nempe merum imperium esse, vbi de iudicio seu pœna sanguinis tractatur. Mixtum verò, quicquid excellentiæ causæ præsidibus per legem aliquam reseruatur. non continens animaduersionem, sed pecuniariam cognitionem, & eas approbat Oldrad. consil. 10. Iurisdictionis autem ea esse censet Speculator, in quibus agitur de commodo pecuniario, & quæ delegari possunt. Vides quantum se cruciat Speculator, & quàm profundissimè potest in hac doctrina speculatur, finitionesque rerum inuestigat. at certè lumen veræ intelligentiæ apud eum non emicuit, nec penitùs absque vllo tenebrarum offendiculo effulsit: recitaui tamen eius opinionem quam miror acceptiorem nō fuisse Iurisperitis, quàm supradictas Bart. & cōmunes definitiones, cùm verbis & sententiæ legum magis accommoda, ac vero propriora, viciniora que scopo Specula, ille diligentissimus, meo iudicio, deprompserit.

SECVN.

# SECVNDA PARS NOVAE INTERPRETATIONIS IN L. IMPERIVM. ff. DE IVRISDICTIONE OMNIVM IVdicum, per

IOANNEM LONGOVALLIVM, in Parisiorum Senatu Aduocatum.

## SVMMARIA.

1 *Merum imperium quid sit ex sententia Angeli Perusini.*

2 *Sententiæ appellatione non venire sententiam latam in causa, quæ summatim & de plano discutitur.*

3 *Testamentum minus solenne tametsi inter liberos valeat, non tamen propriè testamentum dicitur.*

4 *Animaduersiones in facinorosos non fieri officio iudicis nobili. & num. 7.*

5 *Puniri neminem debere sine accusatore.*

6 *Inquisitionem aduersus delinquentes posse fieri per iudicem ex mero suo officio citra vllam accusationẽ, atque inibi quòd huiusmodi inquisitio parum admodum cognita sit iure ciuili.*

8 *Merum imperium definitur à I. C. Vlpiano in l. imperium ff. de iurisd. omn. iud.*

9 *Gladij verbum, in distinctione meri ab Vlpiano tradita, quam significationem habeat.*

10 *Verbum, generalem, nonnunquam restringi ad specialem significationem, vel pro subiecto argumento, vel ob alterius verbi continentiam.*

11 *Gladij appellationem in sentẽtia iudicis strictè accipiendam,*

*piendam, & quæ huius ratio.*

12 *Sententia qua quis pœna capitali simpliciter damnatus est, rectè intelligi potest de pœna deportationis.*

13 *Merum imperium rectè definitum esse ab Vlpiano per rei substantiam.*

14 *Definitiones non tradi à I.C. ad præscriptum Dialecticorum, sed potius quasdam descriptiones, aut nudas verborum demonstrationes.*

POST improbatas meri mixtique imperij ac iurisdictionis definitiones, quas Bartol. & communiter omnes hic asseruerunt, sed quæ nec legibus probantur, nec benè fundatis rationibus innituntur, vt ostendimus: accedo ad intelligentias, quas ad hanc legem afferri hactenùs perceperim. Quatuor enim sunt, quarum duæ totam ipsam legem concernunt: Aliæ verò duæ ad vltimam legis clausulam tantummodò accommodantur. Prior est Angeli Perusini, qui merum & mixtum imperium in hac lege definiri censuit: & rectè quidem. Verùm definitionibus, quas iam improbauimus, & alijs hic à I. C. traditis, probè conuenire, hoc ingenuè contra Angelum diffitemur. Nam quæ (rogo) earum affinitas aut concordia dari potest? Non tam me hercule Glauci & Diomedis arma fuerunt dispaia, nec magis candidum à nigro differre manifestò dignoscitur.

1 Merum † imperium itaque (dicit Angelus) est habitus, hoc est, potentia ad animaduertendum in facinorosos homines. Dicitur autem merum secundùm ipsum, quia abstractum ab omni compositione.

Ex quo obiter hoc parergon colligit, † appellatione definitione sententiæ non venire sententiam in causa, quæ summatim & de plano discutitur, prolatam. Esto enim, quòd negotium terminet & finiat. Clemen. sæpè, de verbor. signific. Veriùs tamen est, cùm aliquid de natura interlocutoriè vsurpet, quoniam lite non contestata fertur & minimè obseruatis iudiciorũ solennitatibus non censeri meram definitiuam. Hanc Angeli opinionem, vt secuti sunt multi, ita improbauerunt Paul. Castren. & quidem recentiores Riminal. Ferrarien. & Valascus Lusitanus, qui in eam legem aggerant consilia, rationes & Docto. auctoritates penè infinitas. Ego autem Angeli receptiorem sententiam à nouissimorum impeditione defendi, eamque firmaui vno duntaxat argumento, atque apta huic speciei comparatione.

Expeditum est testamentum esse nostræ voluntatis iustam sententiam, iustam autem exponunt, hoc est, perfectam & solennitatibus quas ius ciuile postulat confirmatam. l. 1. ff. de testam. † Proptereà in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam. produnt Doct. testamentum minus solenne speciali iure inter liberos valere, non tamē propriè dici testamentum. §. penul. ead. l. in verb. (non tanquam testamentum, sed tanquam vltimam voluntatem defuncti intestati.) Secundùm hoc, regulare est, sententiam prætermisso iudiciorum ordine latam non valere, & esse ipso iure nullam. l. prolatam. C. de sentent. & interloc. omni. iudic. Quod si in quibusdam causis summarijs, putà, aliter a lege definitum sit, non propriè dicas in eis sentētiam esse diffinitiuam. Non aggerabimus plura ad hanc quæstionem, quia plenis (vt dicam) columnis eam prosequuntur hic, & disputāt

Alexand. Iaſ. recentioresque nonnulli. Riminal. & Valaſ. Verùm ad definitionem meri imperij, quæ dubio procul in hac lege deſcribitur, redeamus, miror me hercule, quid Angel. mouerit, vt in ſua lectione amplexetur Bartol. & communem in merum imperium definitionem, aſſerens nihil ab ea diſtare, quæ à I. C. Vlpia. manifeſtè in hac lege traditur. Nam quod ipſe poſt Bart. opinatur, & ſentit, animaduerſionem in facinoroſos eſſe meri imperij eo nomine, quòd officio iudicis nobili exerceatur, arbitror à legibus noſtris multũ eſſe alienum.

4 Siquidem † (vt infrà à nobis tractabitur, qua de officio iudicis fiet amplior diſputatio) officium iudicis nobile nulla actionis aut accuſationis virtute exercetur, ſed à religione iudicis deſcendit, qui nulla impulſus actione aut accuſatione ſolo ſuo interuentu illud interponit. Delinquentium autem & maleficiorum animaduerſionem teſtantur leges tum maximè exerceri, cùm ab aliquo proponitur & intenditur accuſatio.

5 Qua † ratione vulgò traditum eſt, neminem ſine accuſatore puniri. l. reſcripto. §. ſi quis accuſatorem. l. reſcripto. ff. de muner. & honor. Quin etiam pendente iudicio, ſi accuſatorem decedere contingat, nomẽ rei per leges aboletur. l. libellorum. §. ſi accuſator. ff. de accuſ. Planum eſt ergò, & vim verborũ cominus intuenti perquàm euidens eſt, animaduerſionem delictorum non peragi iudicis officio, ſed iure accuſationis.

6 Porrò † non negauerim, cùm iudex viam inquiſitionis eligit, mero ſuo officio tunc eum procedere, quòd eam inquiſitionem ſpontè, & nullo accuſatore præeunte faciat. Verùm ea à iure Ciuili parum erat cognita, & paucis admodum caſibus

ſibus præſcripta, qui annotantur per gloſſ.in l.2. §.ſi publico.ff.ad leg.Iul.de adulter. at apud Speculat. in tit.de inquiſitionibus. §.quando autem. Pontificum autem decretis frequentior & vſitatior huiuſmodi contra delinquentes inquirendi tractatus,quo factum eſt,vt in tit.de accuſat.ſubiecerint Summi Pontifices de inquiſitionibus: cùm Iureconſulti de inſcriptionibus ſubiunxerint, nullam de inquiſitione facias mentionem tanquàm minus frequenti, & à ſuæ tumpeſtatis iudicibus perrarò vſurpata: Eam verò ab officio iudicis nobili proficiſci rectè aſſeruerim, cùm ea iudex vtatur, & ſi non ſi qui reum deferat,vel nocentem accuſet,& hoc tenet. Abbas,Panormit.in c.qualiter.2.& 3,& 5. colum. extr. de accuſat. vbi fatetur iudicem facere proceſſus inquiſitionum ex ſuo mero & puro officio nemine accuſante, vel reum deferente: † Quòd ſi interueniente aliquo accuſatore nocens puniatur, magis accipiendum eſt,vt iudex ex officio hîc procedere non dicatur. argument.l.3. §.prætereà. ff.de ſuſpectis tutoribus. Item Bartol. ipſe in Extrauaganti, ad reprimendum,in verb.per accuſationem. fatetur duplici via ad criminis vindictam agi poſſe accuſatione pura,& officio iudicis, quod per inquiſitionem exercetur. 7

Teneamus † ergò præter Angelum Bartoli definitionem à definitione Iuriſconſulti longè eſſe alienam. Veruntamen cum Angelo merum imperium in hac lege definiri viciſſim contendamus. 8

Quòd ſi quiſpiam contra hanc Vlpiani definitionem obijciat I. C. de gladij poteſtate tantummodò feciſſe mentionem: cùm multa vtique ſint facinora,quę gladio nō puniantur,ſe deportatio-

ne,relegatione membri mutilatione,atque adeò
9 alijs pœnis.† Idem ipse Angel. respondet gladium non accipi hic pro gladio ferreo, sed omni gladio criminis punitiuo. Sic excommonicationem gladium ecclesiasticum dicimus. c.dilecto, de sentent.excommu.lib.6. Sic mucro anathematis & gladius excommunicationis plerunq; à Pontif.Summis vsurpantur.c.solicitudinem, extr. de appellat.c.quoniam in plerisque, extr.de offi.ordin. Sic denique Cicero in Orat.pro Cluent. gladium dictatorium & mucronem seu stylum Censorium, pro Dictatorum Censorumque coercitione aut animaduersione accepit. Dicat forsitan curiosus aliquis verborum indagator hanc dissolutionem sibi non omninò satisfacere: cùm animaduersio,quæ fit gladio, ab alijs coercitionibus secernatur,in l.solent, in princip. ff.de offic.Procons.in l.nemo potest.ff.de regul. iur. & in l. illicitas.§.qui vniuersas.ff.de offic.præsidis. Cui respondere possumus,† non esse absonum, verbum
10 aliquod generale esse,&multa suo significatu cõprehendere,nonnunquam tamen pro subiecto argumento,vel ob alterius verbi continentiam restringi contrahique ad specialem significationẽ. l.2.ff.de adop.§.minorem.Inst.de adopt. Ibi enim Iureconsultus vtitur his verbis per adoptionem vel arrogationem, cùm per adoptionem scribere satis vtique fuisset.Haud ita dissimili exẽplo scriptam putant l.transigere.C.de transact.Nam si pacisci tantùm dixisset Imperator satis erat.Sic igitur satis superque fuisset Iureconsulto, si simpliciter in d.l.solent.& suprà citatis legibus expressisset gladij potestatem,nec addidisset subsequentia verba,(aut alterius coërcitionis.)
11 Iterum acrius insistit,& vehemẽtius ille indagator,

gator, animaduerſionem † gladij nominatim à iure accipi, quæ gladio, non quæ telo fit, ſecuri, laqueo vel fuſtibus. l. aut damnum. §. 1. ff. de pœ. Verùm reſpondeo, legem illam agere de ſententia iudicis, qua quiſpiam damnatus eſt, in eum vt gladio animaduertatur. Hinc enim ingenuè fateor, non telo, nõ ſecuri, non fuſtibus, nec aliter quàm gladio animaduertendum: quando ſententia iudicis quo ſenſu duntaxat & certo accipi declarariq́; debeat. §. & curare. Inſt. de actio. atq; adeò ex ſignificatu magis vulgato. In hac autem lege non eſt neceſſum contrahere & reſtringere verbũ gladij, quod Iureconſultus per viam doctrinæ procedat: & generaliter hoc verbum intelligi non ſit abſurdum vel incongruens. Sic l. 2. ff. de publ. iud Iudicia capitalia definit generaliter, in quibus aut mors aut exilium eſt.

Atqui ſi iudex † aliquem pœna capitali ſimpliciter damnauerit, probè & rectè interpretabimur de pœna deportationis eum ſenſiſſe: cùm certa debeat eſſe, & non confusè vel generaliter intelligi ſententia. Et hoc ſcribit Accurſ. in l. vnic. C. ne Chriſtia. mancip. In cuius ſententiam paſſim Docto. in d. l. tranſigere. Sic leges, quæ vice regulæ conſtituuntur duobus aut tribus nonnunquam etiam quatuor ſenſibus ab interpretibus rectè accipiuntur. Exemplo eſt l. 2. ſuprà, eodem tit. quam omnes tam de ordinaria, quàm de delegata iuriſdictione regulam facere teſtantur, quod in ſentẽtia neutiquam facias, vno tantùm & certo ſignificatu (ne vagetur in incerto) explicanda. Demùm ne mihi negotium anxiè faceſſant tetrici quidam & triſtes formularij ſuper hoc verbo, gladij, quod inſigniore nota Vlpianus expreſſit, illud dele, nónne ſupererit in hac lege definitio 12

irrefragabilis, merum imperium esse potestatem ad animaduertendum in facinorosos? Vel si mauis adde verbo, gladij, hæc verba, aut alterius correctionis, plerumque enim videre est vnius I. C. sententiam alterius auctoritate repleri. Sic definitio legati in l. legatum. ff. de lega. 2. à Iustiniano augetur in §. legatum Institut. de lega. Sic testamenti, sic stipulationis, sic actionis, infinitæque aliæ in iure finitiones non alias quàm quæsitis aliundè & auctis sub auditionibus sustinentur.

33 Tertio † argumento contra definitionem meri imperij ab Vlpia. positam. insurgent quidam rancidi, morosi, & superstitiosi legum interpretes, definiri in hac l. merum imperiũ per verba facti, non autem iuris: atque ideò in hac l. effectum potiùs, quàm substantiam rei declarari, quòd definitio per rei (vt dicunt) quidditatem siue substantiã explicari debeat. Quibus sanè respondeo merum imperium hic describi per rei substantiam. Licèt enim I. C. ita exprimat. Merũ imperiũ est habere, &c. tamen hæc clausula perinde valet, ac si scriberet: Merum imperium est potestas, quam habet iudex ad animaduertendum, &c. Simili schemate dicendi Quintilianus in nono vsum fuisse censet Horatium, Virtus est vitium fugere, hoc est, fuga vitiorum & sæpientia prima stultitia caruisse. Decipiare me hercule, si existimes & credas I. C. qui latinæ dictionis & eloquentiæ fuerunt studiosissimi (vt ex scriptis Digestorum clarè & apparet, & testatur Laurentius Valla homo alioqui cauillosus in procemio tertij Elegantiarum suarum lib.) se astrinxisse, sibique legem in hoc præscripsisse, vt inutiles quorundam leguleorum rancidi-tates, superstitiosasque Dialecticorum regulas ad normam obseruarẽt. Non enim ipsi, an nomi-

nibus,

nibus, an verbis in definitione rerum vterentur, quicquam pensi habuerunt, eloquentię potiùs nitori, quàm verborum morositati insudare satagentes.

Denique †nolim contra hanc definitionem opponi subtiles & acutos Dialecticorum scrupulos, 14
qui definitionem ex genere & differentijs constare volunt, & curiosas alias notas legesque suggerunt. Nam in tota hac nostra legali disciplina, nõ exactè illæ Dialecticorũ definitiones, sed descriptiones nudæque verborum demonstrationes à I.C. traduntur, quales & à M. Varrone traditas cõtendit Gellius libr. 4. cap. 25. Quòd si Dialecticas disputationes admittimus, vix dolum labeonem verè in l. 1. §. dolum. ff. de dolo & frumentum rectè Gallum in l. frugem. §. frumentum. ff. de verb. sig. definiuisse sustentabimus.

Non desunt prætereà Dd. & Bartoli (vt ita dicam) simiæ, qui asserant legis condendæ potestatẽ esse meri imperij: quod ipse ingenua & plana frõte negauerim, neq; enim ipsi quicquam citant, vnde inuentitia eorum opinio vel probetur, vel saltem præsumi coniectarique valeat. Ita definitio meri imperij per Vlpianũ hic posita ab omnibus eam oppugnãtibus iam satis defensata est: quam clariùs infrà in noua intelligentia explicaturi sumus.

## SVMMARIA.

1 *Mixtum imperium quid sit ex sententia Angeli Perusini.*

2 *Bonorum possessionis dationem non esse mixti imperij, contra quam hactenus opinati sunt interpretes iuris.*

3 *Intellectus ad l. cognitio ff. de officio eius cui est man*

*da. iurisdict.*

4 *Relatiuum, Quod, positum in oratione sine copula, restringit pracedentia.*

1 VENIO ad expositionem,† quam tradit Angelus in versic. mixtum imperium. Mixtum imperium (inquit ipse) est, cui etiam iurisdictio inest: quia videlicet exercetur officio nobili, sed principaliter ad priuatam vtilitatem, & consistit in danda bonorum possessione. Vides, quemadmodum Angelus improbè contorquet, ac ex libito voluit hunc legis contextum, atque anxiè procurat, eum qualiquali expositione couciliare communi receptęque hactenus definitioni. Nos autem hanc intelligentiam subuertimus & confutamus multis atque euidentibus argumentis.

2 Primum † omnium ex ea emergit bonorũ poss. dationem esse mixti imperij, quòd manifestò falsum esse, lege & ratione ostendo. Constat mixtum imperium continere in se coërcitionem saltem modicam, hoc expressè dictat l. vlti. sup. tit. 2. Cęterùm in datione bonorum poss. nulla versatur coërcitio. Huic scrupulo omnes ferè Iurisper. vel suoptè iudicio minimè satisfaciunt: excruciãtur enim extorquẽt se, & miserrimè in eo confligantur, multipliciterque rem ipsam inuoluunt.

Andr. Alciat. cui frequentissimè omniũ contingit, de legibus rectũ ferre iudicium, lib. paradox. 2. cap. 1. fatetur, illam legem vltimã de mixto imperio, quod commentus est & definit Bart. agerr. Mandata (inquit ipse) iurisdictione transit imperium mixtum, quod probari asserit à l. cognitio, in prin. in verb. (consequens est) sup. tit. 2. Equidem dissideo hac in re & expositione ab Alciato.

Siqui-

Siquidem reluctatur,† & cõtra eum se offert principium illius legis cognitio, decernens cognitionem suspecti tutoris, quãuis alioqui specialiter concessa sit prætori in vrbe Roma & præsidibus in prouincijs. l. 1. §. suspecti. ff. ad Senat. Turpil. tamen fauore & propter vtilitatem pupillorũ posse mandari & mandata iurisdictione transire. Ecce hanc legis dispositionem ratio iuris communis induxit aut conciliauit, sed pupillorum fauor. Nec faciunt pro Alciato verba sanctionis Imperatoriæ (consequens est, &c.) Nam truncata sunt & desumpta ex d. l. 1. §. damus, vbi I. C. sic ait: Si prætor Romæ mãdet iurisdictionem, apud delegatum potuerunt suspecti tutores deferri & postulari, & hoc fauore pupillorum. d. l. cognitio. Quod si hoc Romæ locum habet, consequens est (hinc redeas ad rescriptũ Imperatoris, quod est truncatum & semiplene modo positum in illa l. cognitio) vt si Proconsul in prouincia iurisdictionem legato mandauerit, ipse de suspecto tutore cognoscere valeat. Quamuis autem in d. §. damus, assignetur à I. C. ratio, quia scilicet mandata iurisdict. officium ad eum totum iuris dicẽdi transit, tamen ea non est primaria, aut multum efficax, sed alia, quæ ascribitur in ea l. cognitio, scilicet propter vtilitatem pupillorum, nõ enim incongruẽs est, aut absonum, multas ad aliquam constitutionem vel legem rationes à legibus accumulari, quarum vna non sit satis. l. liberorum. §. 1. ff. de ijs qui notan. Itaque in d. l. cognitio, datur vna moderatio & exceptio. l. 1. in princ. supr. titul. 2. Nimirum suspecti tutoris cognitionem quamuis specialiter à lege data sit, & competat. d. §. damus. fauore tamẽ pupillorum mandata iurisdictione transire. Nec vero dicamus mandata

iurisdict.transire mixtum imperium & consequẽter suspectu tutoris cognitionem: Nam ea cognitio non est mixti imperij quod inferius clarè à nobis demonstrabitur. Præterea ratio Pauli, qui ideo vult, mandata iurisdict. transire mixtum imperium, quia iurisdictio sine modica coercitione nulla est, non rectè quadraret, nec ei quod in d.l. cognitio deciditur, aptè coniungeretur, vt videlicet mandata iurisdictione transeat suspecti cognitio: quia sine modica coercitione iurisdictio nulla sit.

Amplius contra superiorem Angeli expositionem facit, quod secũdum eum & legis contextũ, (quo vulgo omnes ad vnũ huius legis interpretes eam prosequuntur) nõ solum datio bono.poss. est mixti imperij: imò etiam mixtum imperiũ in dãda bono.poss. solummodo consistit, in nihilo præterea id auribus omniũ (credo) sonat lex communi intelligentia; atq; hoc euidẽter apparet vnico ex ll. argu. Constat † hoc verbum (quod) relatiuũ, eius esse naturæ, vt præcedentia restringat, & coarctet modo absq; copula in orationem veniat. l. ea tamẽ adiectio. ff. de leg. 3. Si igitur legas, Mixtũ imperiũ est, cui etiam iurisd. inest, quod in danda bono.poss. consistit: sequerur ex ea verborũ cõceptione mix.imp. in sola bono. poss. datione consistere. Hoc meo iudicio puris ac bene purgatis auribus suadent, & obtrudunt verba huius legis, receptis hactenus clausulis eã lectitemus, alioqui vt mix.imp. ad alias extendas, scribendũ erat, quòd etiã in danda poss. bono. consistit. Deniq; secundũ hanc Ang. intelligentiã non satis apertè mihi apparet quã significationẽ habere possint hæc verba, cui etiam iurisd. inest Si.n. exponas, mix.imp. inesse iurisd. in genere, quæ merum mixtumque imperi-

imperium & iurisdictionem complectitur, hoc perabsurdũ est, cùm ea iurisdictio insit mero imperio. Atqui I.C. hic clarè tradit, imperium mixtum hoc vltra merum imperium vsurpare & sibi vendicare, quod mixto imperio cohæret iurisdictio, quæ mero non est. Si vero exponas mixto inesse iurisdictionem in speciẽ, qui fieri potest, vt iurisdictio in specie, quæ secund. Bart. & Ang. exercetur officio iudicis mercenario, insit mixto imperio, ꝙ officio nobili expeditur? Planè duo in uicem contraria in vna eademq; nomenclatura congruerent & pugnarent; quod est absonum & ridiculum. Bart. hic respondet, & ait, mixto imperio inesse iurisdictionem, hoc est, qualitatem iurisd. in specie, nempe illam, qua exercetur ad priuatam vtilitatem, non aliam, quæ offi. iud. mercenarium respicit. Verum quàm friuola sit hæc diuinatio, viderint, qui quotidie in excutiendis ll. veris & genuinis intellectibus merito laborant, & recto limitatoque sunt iudicio.

*SVMMARIA.*

1 *Denominationem fieri à digniori, itemq; magis dignum attrahere ad se minus dignum, quando verum sit.*

2 *Collegium tale esse, qualis est maior pars eorum, ex quibus constat.*

SEd iuuat obiter discutere, quid ex ea expositione scribentes collegerint & corolarij loco inferant. Videmus, inquiunt ipsi, nõ mixtã dici iurisdictionem, sed mixtum imperium ea ratione, quia imperium dignius est iurisdictiõe. Quo fit, vt regulas has in hoc articulo fabricent; A digniori fieri denominationẽ: Et magis dignũ attrahere ad se min' dignũ. Quas Iasõ inter neotericos mul-

multis hic ornauit emblematibus & declarationibus. Ego autem contendo, eas non probari & mixti imperij etymologia atq; appellatiōe. Nam si iurisdictionem, quæ inest mixto imperio, accipias in suo generali nomine, certum erit, hic à digniori non trahi denominationem, quod in generali nomine iurisdictionis comprætendatur imperium vt species, species autem nō possit esse dignior suo genere eam continēte. Si verò exponas iuxta cum Bart. iurisdictionem in specie, hoc est, qualitatem iurisdictionis, nihilo magis opinabor prædictas regulas ex ea expositione colligi pos-
1 se. † Quæ tum denique recipiũtur cùm res digna & alia dignior æqualiter in corpore ex eis composito concurrunt, nec vna aliam numero aut potentia superat. l. quæritur. ff. de stat. homi. l. repetundarum. §. hermaphroditus. ff. de test. l. sed est quæsitum. §. fin. ff. de lib. & posth.

Amplius adde, quòd vna res per prævalentiam aliam rem trahit, & in se confundit. l. in rem. §. in
2 omnib. ff. de rei vendic. Rursum † facit, quod relatum est apud Bartol. in l. fin. 3. colum. ff. de colleg. illi. Collegium licitum ex clericis & secularibus. vt vocant, personis coadunatum & compositum censeri profanum & laicum, si in eo plures sunt seculares quàm clerici, quod & approbant Abb. & Fely. in c. ex literis, ext. de constit. secundum quod deciditur alia species, ius patronatus censeri ad laicos spectare, si duobus secularibus & vni clerico simul & indiuisim cōpetat; de qua latissimè Rochus Curtius in tractatu de iur. patro. Si igitur, vt prædictum est supradictæ regulæ ita demum vim sortiantur, si ex duobus æquis vnum corpus astruatur, certum est mixtum imperium non cōponi ex duobus æqualibus, cùm in eo

magis sit imperij; quàm Iurisdictionis. d. l. iubere cauere. Consequenter dicendum est, supra scriptas regulas ex mixti imperij nomine à Dd. non rectè colligi, sed potius aliam; Ab eo quod maius est sumi denominationem. Hæc parua quidem & tenuia veluti parerga, contra cõmunem & à scriptoribus probatam illationem, sed quę à maioribus ausis non incommodè annectenda arbitratus sum.

## SVMMARIA.

*1 Merum imperium definiri à I.C. Vlp. in l. Imperiũ. ff. de Iurisd. omn. iud.*

*2 Intellectus ab interpretibus hactenus traditus ad l. imperium. circa fin. ff. de iurisdict. omn. iud.*

SECVNDVS principalis intellectus huius legis Imperium, & communis est, quem tradit hic Barto.† non definiri videlicet in hac lege merum & mixtum imperium aut iurisdictionẽ, sed eorum tantummodo exempla nobis ab Vlpiano proponi. Hæc expositio adeò, & apud tot scriptores iam dudum inualuit, vt omnes in eam pedibus manibusque & toto suo sensu pariter conueniant. Adeò facilè fuit Bar. & sectatoribus eius persuadere contra veritatem, quippe quæ in tenebris iacebat densissimis, & in Democriti puteũ demersa lucem nesciebat. 1

Verum enim vero licet nobis satis superque esse debeat, si IC. ab improprietate sermonis, qua certè vacauit, at inquam Bart. & sui per hanc intelligentiam eum detrudunt, defendamus, & ipsum rectè appositeq; locutum, ac benè definiuisse, vt mens eius fuit, ostendamus. Tamen vt res sit clarior, & tenebræ autiquorũ magis innotescant,

hanc

hanc intelligentiam aliquot argumentis confutabimus. Inprimis I. C. Vlpia. quem sæpissimè omnium Iurisprudentum circa definitiones versari totis Pādectis videmus, post traditam imperij in merum & mixtum sectionem, animo gestiēs quæ diuiserat definire, vtitur in hac lege hoc verbo, est, Merum, inquit, imperium est habere, &c. Mixtum est, cui etiam, &c. Quo verbo, significatur, & includitur substātia meri & mixti imperij, & cōsequenter eorum definitiones. Quòd si exempla adscribendi tantummodo animum habuisset, alijs certè verbis legem istam concepisset, nempe his, habere gladij potestatem est meri Imperij: Item datio bono. possess. est mixti imperij.

Deinde contra hanc communem intelligentiā possemus inniti ijsdem rationibus, quibus intellectum Ang. in vers. mixtum imperium supra improbauimus. Rursum quod attinet ad versiculū Iurisdictio est, eum improbo. Nam quid in causâ est, vt datio bono. possess. sit mixti imperij, iudicis autem datio sit iurisdictionis? Vtraq; planè exercetur officio iudicis nobili ad priuatorum commodum, & id docuimus supra qua de definitioni bus communibus mētio agitata est. Demum quis non contendat impropriam, incongruentem & à I.C. elocutione longè alienam hanc clausulā (iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia) Definitum enim vocatur id, quod sub definito compræhenditur, & genus vocatur sua species, hæc propositio, me hercule, tam absurda mihi videtur, quàm dicat quispiam. Animal est etiā homo. Homo est etiam Titius. Quæ quidem enuntiationes à rudibus Grammaticunculis, nedū ab auitis Dialecticis statim exploderentur, & absonè præmodum iudicarentur. Sanè admitterem, licentiam dandi

dandi iudicis esse iurisdictionem, verùm iurisdi. esse etiam licentiam dandi iudicis, neque sensui, neque auribus sincerè probè quadrare & conuenire potest. Pro † dissolutione autem istorũ, quos postremo retulimus nodorum, reperio dari duos intellectus illi versic. Iurisdictio & etiam, &c.

Vnus est Cyn. & Baptistæ Seuerinatis, qui eum sic exponunt, de natura iurisdictiõis esse, vt possit delegari, sed hanc expositionem veluti perabsurdam & lõgè petitam meritò damnant & proscribunt omnes. Alius est Andreæ Alciati in suis paradoxis, qui contendit de mero & mixto imperio duntaxat in hac lege mentionem haberi, de iurisdictione verbum nullum. Mixtum enim imperium, inquit ipse, est cui etiam iurisdictio inest, vt in danda bonorum possessione & in iudicis dandi licentia. Itaque iurisdictio non illa generalis vel specialis, sed ea, quæ auctore Bartolo in aliqua sui qualitate inest mixto imperio, est etiã in iudicis dandi licentia. Ita ipse hanc legem inuertit, & ad suum intellectum quo multi certè nodi dissoluebantur, pertraxit, placuitque mihi mirum in modum tantisper inuentum tanti viri, donec lumen nouæ, & antiquæ, quam nunc tractamus, intelligentiæ, apud nos effusit, quam si Alciatus intus & in cute persenserit, hoc ab exacto eius iudicio profundaq; in legibus eruditione experto, vt ipse iuxta mecum facile in posterum sentiat. Accedat, quod eius intellectus incidit in omnes illas syrtes, nodos, pedicas & laqueos, quos aduersum communem & Ang. supra obiecimus.

# NOVAE DECLARATIONIS IN L. IMPERIVM PER DOMINVM IOANNEM LONGOVALLIVM, CAVSsarum in Parisiorum Senatu patronum.

*SVMMARIA.*

1 *Intellectus nouus ad l. .ff. de iurisd. omn iud.*
2 *Iudex quando dicatur ex officio suo aliquid facere.*
3 *Actione vel exceptione per statutum exclusus, non excluditur ab imploratione officij iudicis.*
4 *Officium iudicis duplex.*
5 *Officium iudicis quod actiōi deseruit, circa quæ versetur.*
6 *Officium iudicis tantundem operari circa actiones bonæ fidei, quantum expressa conuentio partium in stricti iuris iudicijs.*



CCEDO nunc ad principem disceptatiōis nostræ articulum, nempe ad nouū simul & veterē ac verè germanū huius legis (nisi maximè fallor) intellectū; quo facturum promisi, vt omnes, qui in hac doctrina iurisdictionis quotidie pullulant, scrupuli excutiantur, fiatque postea tractatus ipse tam facilis, quàm obscurus & difficilis antea videbatur. Verùm quando in ea disceptationem non vnam modo legem explicandam suscepimus, opportunam fore arbitratus sum, legem primā huius tit. & l. iubere cauere, vna cum hac l. imperium. exponere & extricare, quæ leges meo iudicio cōtinuæ sunt & perpetuæ, atq; eas ab ipso Vlpiano ex ordi-

ordine positas à Triboniano autem truncatas existimo. Quòd si integra Vlpia.responsa,& non eo, quo sunt modò, exacta atque in epitomen redacta haberemus, nō certè tot virorum doctorum ingenia hæc lex suo imperio, suaque iurisdict.oppressisset,& tam miserè cruciasset. Tribonianus enim (vt Budæi nostri sententiam vsurpem) & qui Triboniano operam consarcinandis his libris nauauerunt, immensam illam librorum multitudinem inclemētiorum medicorum more ad viuum resecantes, accisas nobis Pandectas verius, quàm compendiosas dederunt. † Vlpianus ergo in l.1. supr. eod.tit. tradit ius dicētis officium esse latisimum. Non intelligamus eum Bart. & alijs, officium generalissimum, hoc est, iudicis in omni re potestatē esse latissimam. Nam huic expositioni non arbitror rationem subsequentem quadrare & appositè congruere.(Nam & bono.poss.dare potest.) Et planè videretur I.C.à nimium distantibus & lōgè remotis exempla aut rationem auocare & expetere. Intelligamus ergo officium iudicis esse latissimum, hoc est, iudicem multa exequi mero suo officio, quæ iure actionis aut accusationis à parte intentatæ venire non possunt. 1

Vbicunque † enim iudex æquitate aut aliqua probi religione motus nō autem virtute actionis aut accusationis summaque iuris necessitate aliquid fuit, idipsum dicitur officio suo exercere. Pone exempla illius legis primæ, ad petendam bono.poss.nulla est à iure prodita actio, nulla ad tutores constituendos, ad missionem in bona aduersarij decernendam, ad dandos iudices, quo fit, vt supra dicta dicatur iudex mero suo officio impertire & exequi. 2

Eadem ratione iure cautū est, offic. iudicis nul-

lam inesse obligationem, l. qui per collusionem, §.fi.ff.de act.empt.Nam si aliqua obligatio inesset, hîc oritur actio, nó autem officium iudicis imploraretur, quòd maximè proficiscitur & descendit ex æquitate, & eum nulla potest actio competere, l.deducta parte.ff. ad Trebell.& Inst.de fideicom-hæredit.in princ.per quem iura constat fideicommissa olim nullo iuris vinculo, nullaque actione fuisse debita, cùm fidem honorati testator sequeretur, & ei citra vllam obligationem vel vinculũ consideret. Posteà introductum est pro fideicommissis actionem dari quæ solo iudicis officio anteà petebãtur. facit l.Quintus ad fi.ff.de annu. leg. l.hæreditas.ff. de petit.hæredita.

3 Adde exclusum †per leges aut municipalia statuta ab omni actione vel exceptione, non excludi ab officij iudicis expostulatione, l.planè.& l.fina. vbi Bar.notat.ff.de petit.hæred. Idem ipse Bart.in l.1.§.& parui refert.ff.quod vi aut clàm.

De officio autem iudicis multiplici latè tractat Spec.in tit.de offic.iud.Iurisperiti passim in hac l. 1.Abb.& alij in c.fi.ext.de offic.iud.†Siquidem il-
4 lud vice & loco actionis interdum imploramus et vsurpamus: vt quandò restitutio in integrum vel damni infecti, legatorumve nomine cautio petitur, quandò vt bono:poss.vt tutores dentur, ad iudicem itur, & propter cætera id genus, quæ si causæ cognitionem desiderãt, iudiciarius in eis ordo & causarũ solennia erunt obseruanda, d.c.fi. Hoc autem officium quod à iure speciali nomine persecutio, vel extraordinaria cognitio appellatur, l. pecuniç.§.persecutionis.ff.de ver.sig. & tot.tit. de va.& extra.cog.à Bart. & alijs vocatur nobile, eo, vt puto, nomine, quòd actioni nõ seruiat, sed liberũ sit & nõ subiectum, vel alteri suppositũ. Aliud

est

est officium iudicis mercenariũ(vt vocant)& ser uum,quòd obsecũdat & seruit actioni, vel omnibus quæ apud iudicẽ fiunt persecutionibus, eosq; cõmodè adiuuat, iure autem actionis à iudice nõ exercetur, siquidem actionis Iura, iudex actori, quod in obligatione est,& quòd ex prescripto ipsius per libellũ petitur,dari tradíve iubet. Causæ verò † vel litis adminicula.fructus putà,vsuras,dilationes,cõperendinationes, cautiones, & multa arbitraria,iudex mero suo officio largitur & adiudicat,l.ædiles.§.itẽ sciendum.ff.de ędil. edict.l.stipulationum aliæ.§.iudiciales.ff.de verb.obl. 5

Item eodem officio, quòd leges plerunq; religionem appellant, iudex aliquandò temperat & moderatur intentionem actoris, atque ad ea, quæ in obligationem deducta non fuerant, ex æquitate reum compellit, quod expressim sanxit Iustinia.in Inst.de off.iudi.in princ.

Per hæc etiam † clarè & apertè intelligitur cõmune illud,in contractib.bo.fi. tantundẽ operari offici.iudicis, quantum in stricti iuris iudicijs valeret expressa conuentio & stipula.l.quia tantundem.ff.de neg. gest. l. Lucius Titius Sempronio.ff. depo. vel cõtra quòd videlicet contractibus bon. fi.propter ęquitatẽ in eis vberiùs obseruandã, iudex vt maximè fructus,vsuras,cæterasq; accessiones alterũ alteri ex bono & æquo restituere condemnat,quòd vix faciat in ex stipulatu actione,alijsq; stricti iuris contractibus,nisi cõuentionis et expressa verborũ postulante, l. cõsensu ad fi.ff.de act.& oblig. Habemus ergò in hac lege prima,iudicẽ multa posse suo nobili vel mercenario,nõ autem iure actionis,aut accusationis,quod ostenditur quatuor exemplis.Verùm quia Vlpia.hîc,non nõ quidem integrum, sed mutilum & truncatum 6

habemus, conijcio & (vt verisimile est) credo eum plenius & iusto ordine, vt qui est vnus inter I.C. ordinis obseruantissimus posteà rescripsisse, officium hoc versari in mero imperio, aliquando in mixto, nonnunquàm in iurisdictione, quo fit vt in l. imperium. partitionem quæ in ea habetur, tradiderit. Aduerte autem sedulò, probe lector, hanc enim legem tibi ad verbum recitabimus, quo fit vt arcanum abstrusumq́; hactenùs eius intellectum nunc facilè (vt spero) percipias, & deprehendi à te vel iurato contendas.

## *SVMMARIA.*

1 *Intellectus nouus ad l. imperium. ff. de iurisdict. om. iudic.*

2 *Intellectus ad l. iubere cauere. ff. de iurisdict. omn. iud. & nu 6.*

3 *Stipulationes iudiciales, quæ dicantur, quæ item prætoriæ & cautionales. & nu. seq.*

5 *Stipulationes rem pupilli saluam fore, & rem ratã haberi. quare dicantur communes.*

7 *Iurisdictionis definitio.*

8 *Merum imperium definiri à I.C. Vlp. in l. imperiũ. ff. de iurisdict. om.*

9 *Merum imperium qui dicantur habere, & circa quæ consistat tale imperium.*

10 *Iurisdictio circa quæ consistat. & nu. 7. & 15.*

11 *Iurisdictione mandata non transferri imperium, atque inibi emendata l. solent. circa princ. ff. de offic. procons.*

12 *Iudices ordinarios potuisse iure pandectarum omnem suam iurisdictionem alteri demandare.*

*13 Lex*

13 *Lex vnica ff. si quis ius dicen. non obtemp. de quibus magistratibus loquatur.*

14 *Ciceronis locus in oratione pro l. Murena elucidatus.*

16 *Magistratus maiores quādiu in eo magistratu sunt, non posse in ius impunè vocari, minores posse: atque inibi qui dicātur maiores magistratus, qui item minores, & nu. 17.*

18 *Iurisd. accipi nonnunquàm in iure pro edicto pratoris.*

19 *Intellectus ad l. postquàm. §. 1 ff. vt lega. vel fideicom. seruand. caus. cauea.*

20 *Restituere apud I. C. frequenter accipi pro eo, quod est in pristinum statum reponere.*

21 *Mixtum imperium quid sit, & quibus competat.*

22 *Intellectus ad l. fi. ff. de offi. eius cui man. est iurisd.*

23 *Iurisdictionis nomina cuiusmodi apud Gallos vsurpentur, & quæ sint earum discrimina.*

IMperium † inquit Vlpianus aut merum, aut mixtum est: Merum imperium est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Ecce habes in his verbis meri imperij definitionem, quod est mera coercitio. Nam imperium quod ad magistratus iudicesve attinet, & de quo potissimùm in legibus nostris, nòn autem de imperio populi Imperatorumq; vel Regū disputatur, iusta significatione nihil aliud quàm coercitionē, animaduersionem, summamq; iudicis potestatem esse ex istimo, l. 1. fin. vers. verius est. supr. tit. 2. l. lege Iulia. ff. ad l. Iul. de vi public. l. 2. ff. de in ius vocand. 1

Sequitur, Mixtum Imperium est, cui iurisdictio inest: hîc claude clausulã, nec vltra quod ad mixtum imperium attinet progredere aut orationem extendas. In his verbis definiri mixtum imperiũ dico & contendo, atque illud esse, cui iurisdictio inest. Vlpia. in hoc verbo breuis est, atq; ideò obscurus. Verùm explica per l. fin, sup. titu. 2. mixtum imperium esse mixtam & modicam coercitionem, sine qua iurisdictio nulla est. Declara etiam per l. 1. §. fin. sup. tit. 2. mixtum imperium esse, quòd iurisdictioni cohæret, hoc est, sine quo commodè non potest exerceri iurisdict.

Subsequitur mox in eadem lege, versicu. Quod in danda bono. possess. consistit iurisdictio est. Etiam iudicis dandi licentia, supple, iurisdictio est. Ad hoc autem relatiuum, quòd, referre possemus & subaudire, vt communiter assolent Grammatici hoc generale antecedens, ilud, verum conijcio, imò verè credo hanc legem à lege prima descendere & perpetuari: In qua respondit Vlpia. officium iudicis consistere in danda bono. possess. & in iudicis datione. Nunc aũt idem ipse subiungẽs & connectens hanc legem alteri priori, rescribit, officium quod consistit in danda bonor. poss. esse iurisdictionem, & iudicis dandi licentiam etiam esse iurisdictionem: hoc est, non ad merum mixtumve imperium, sed ad iurisdictionem spectare.

2 Legitur † ex ordine consequenter l. iubere cauere. Quandoquidẽ in l. 1. docuit. Vlp. missionem in poss. bonorum contumacis officio iudicis expediri, hic idem ait, eam magis esse imperij quàm iurisdictionis, hoc est, esse mixti imperij. Quod aũt de iussu vt prętoria stipulatione caueatur in ea l. scribitur, sic accipe, vt iussa de cauendo sint mixti imperij, modò actioni vel alteri persecutioni subseruiat:

seruiat:Cuiusmodi sunt iussa de cauendoo dolum abesse,rem ratam haberi,iudicatum solui, & pleraque his similia,quę idcircò à iudice exiguntur, vt iurisdictionem motamque controuersiam faciliùs sustineat,& exequatur. Ea sunt quæ à l. 1. in prin.ff.de prætor.stipul.iudiciales † stipulationes 3
ideò appellantur,quod propter iudicium interpo nũtur, & cùm res aliter expediri non potest,l.stipulationum aliæ.§.communes.ff.de ver.obl. Iussa autem,vt de damno infecto, & vt legatorũ causa vel fideicommissorum caueatur, aliaque quæ ad piætorias cautionales stipulationes pertinent,cũ principaliter petantur,instar actionis habẽt, nec sunt huius imperij.argu.d. l.1.§. cautionales.ff.de præto.stipulat.l.4.§.duas.ff.de damn.infect.& l.actionis verbo.§.1.ff.de act. & obligat.

Ex † quibus obiter descendit clara & breuis in 4
diuisionem stipulationum explicatio: Nimirùm iudiciales stipulationes esse quæ à mero iudicis officio proficiscuntur, hoc est, quæ propter iudicium interponuntur,vt ratum firmumq; sit,quòd iudex decreuerit. Ille enim iudicis officio(quòd mercenarium vocamus) dum coram eo pendet controuersia exiguntur, adhibenturque quandò res aliter facilè expediri non potest, vnde verbalia iussa dici possunt, quæ eo nomine mixti imperij esse Vlpian.hîc respondit, quòd modicam coercitionem iussumque continent, sine quo commodè iurisdictio exerceri non potest. Hæc enim verba,d.l.stipulationum aliæ (iudicialis & mero iudicijs officio)iudicium pendere & causam verti significant. Nam apud iudicem vel per iudicem aliquid dicitur explicari, quãdò pendẽte iudicio & cõtrouersia durante id fit, quemadmodum sine

iudice, quod extra controuersiam peragitur l.si sine iudice.in princ.& §. quòd si procurator, ff.rem rat.hab. Dum ergo apud iudicē controuersia pendet, ille nonnunquàm officio mercenario iubet cauere dolum abesse, seruum de quo est lis persequendum vel pretium restituendum, stipulationesque pro his iudiciales mixto suo imperio à litigantibus exposcit. Prætoriæ verò stipulationes quæ alibi cautionales vocātur, sunt quæ à iurisdictione, hoc est, ab edictis Prætorū veniunt, vel ab edictis Aediliū, quæ iuris prætorio portio sunt. §. prętorū.de iur.na.gen.& ciu.in Inst. exercenturq; mero prætoris officio non quidē mercenario sed nobili, nec sunt huius imperij, quia instar actionis habent, principaliterque & nō alio pendente iudicio petūtur, & ea causa præcipiuntur, vt qui officio iudicis tantummodò, vel naturaliter, aut alias vel in spe tenebatur, per stipulationem satisdationemque vel repromissionem fortiori nexu obligetur, & prioris obligationis nouatio intercedat, huiusmodi sunt damni infecti & legatorum causa interpositæ stipulationes, d. l.1.§. cau-
5 tionales. † Stipulationes autem rem pupilli saluam fore, & rem ratam haberi, quæ scribentium capita in ea doctrina multum torserunt, communes sunt: quia principaliter nonnunquam veluti prætoriæ cautionalisve postulantur, vt cùm contra tutorem datum agitur, at rem pupilli saluam fore caueat: Cùm procuratori, qui emit, vel vendidit, dies ad iudicem dicitur, vt caueat, dominū rem ratam habiturum, iuxta l. interdum, & ll. sequen. Digest. rem rat. hab. Nonnunquàm incidenter hæ exiguntur, & alio pendēte iudicio veluti iudiciales, vt si non datur tutor, iudex obiter iubeat, cauere rem pupilli saluam fore. Aut si à procu-

procuratore actoris pendente iudicio, cautio de rato postuletur. Eã certè putauerim esse verissimã prætoriç iudicialis cõmunis stipulationis explicationẽ, quam & senserunt glossæ in prædictis legibus, & in titulo de diuis. stipulatio. in Institu. quas tamen non admittunt Barto. & reliqui nostrarum legum interpretes.

Nunc † ex hoc diuerticulo reuertor ad l. iubere cauere, quæ indubiè vult, iussa de cauendo prætoriâ stipulatione (quæ iudicialis dicitur) esse mixti imperij, quod durante & manente iudicio fiât, & vt commodius exerceatur iurisdictio. 6

De tutoris autem datione nihil Vlpianus repetit, quia etsi officio iudicis expeditur, nullius est imperij, aut iurisdictionis, vt inferius ostendemus. Ad hoc autem attende Vlpianum in hac lege, nullam tradidisse nobis iurisdictionis definitionem, quia forsitan truncatus est & accisus nimium, vel quia ex meri & mixti imperij cognitione, facilè est iurisdictionis definitionem agnoscere, & coniectura assequi. Nimirùm † omnia ad iudicis potestatem spectantia, quæ non sapiunt meram aut mixtam coercitionem, quæ sunt merũ & mixtum imperium iurisdictionis esse. 7

Vide, lege, rumina, & crebrò reuolue hanc legem, credo hanc intelligentiam approbabis, ac huiusmodi in eam syntaxim congruam, propriam, appositam, & eloquentiæ I.C. quadrantem cẽsebis, nisi fortasse tam amator rudis vetustatis, & receptæ ab omnibus sententiæ existas, vt veterum incuriam aliorum diligentiæ præferas. Præterea definitiones supradictas quis non videt vi verborum consonas, & non à me modo, sed & ab alijs legibus approbari? Nullam, me herculè, ad Iureconsultorum leges, responsaq; prudentum,

conuenientiorem aut probabiliorem expoſitionem arbitror, quam quæ ex aliorum vel eorundẽ fonte ac reſponſis colligitur. Melius eſt enim (vt ſentit Cicero) ex fontibus ipſis haurire, quã riuulos conſectari. Iſtam autem legem eò quem ſuprà expoſuimus modò diſtinctam, & periodis comatibuſq; deſignatã reperi ab Italia, reuerſus in quodam venerandæ antiquitatis volumine, quod mihi è Bibliotheca ſua protulit vnus ex Conſcriptis ampliſſimi Senatus noſtri Pariſiani patribus. Verùm cuius chalcographi characteribus atq; opera id volumen emiſſum eſſet, aſſequi aut legere profectò non potuimus.

8 Habemus igitur in hac l. imperium, perlucidas meri & mixti imperij definitiones. Nam quæcunque cauſæ ad hoc tendunt, vt in facinoroſos animaduertatur, meri imperij nomine cenſebuntur: & iudicibus, qui earum cognitionem exercitationemq; retinent, merum imperium, hoc eſt, meram coercitionem competere dicemus. Et generaliter quicunque habet cognitionem cauſarũ criminalium, cenſetur habere merum imperium: Pro hac definitione facit l. 1. §. fin. verſ. verius. ſup. tit. 2. quæ de mero agens imperio. Idem & animad
9 uerſionem appellat. Item l. 2. † ff. de in ius vocand. quæ innuit eos imperium habere, qui & coercere aliquem poſſunt, & in carcerem duci iubere. Confirmatur etiam ex eo, quod præſes in eos imperium habet, qui in prouincia ſua aliquod delictum commiſerunt, l. 3, ff. de offic. præſid. Item cui datur gladij poteſtas (quod eſt merum imperium) hic accuſationes reorum recipere, de cuſtodijs cognoſcere, eas interrogare, innocẽteſq; liberare poteſt, imò & noxios punire, niſi exceptum ſit, l. ſolet, ſup. de off. proconſ. & leg.

Quęcun-

Quęcunque verò causæ † ad pecuniariam rem 10
& priuatorum commodum pertinent, vel generalius omnia ex iudicum potestate pendentia, quæ nullam sapiunt aut continent animaduersionem, actiones putà ciuiles, reales, personales, aut mixtæ. Item persecutiones ad iurisdictionem spectãt, & iurisdictionis esse dicuntur. Hoc enim verbum iurisdictio, tametsi alioqui nomen generale sit, & merum imperium plerunque comprahendat, frequentius tamen contrahitur, & in omnibus ferè legibus nihil quàm causarum ciuiliũ cognitionẽ 11
significat. Vndè † proconsul statim vbi ingressus est prouinciam, iurisdictionem suam, id est, causarum ciuilium cognitionem legato mãdare debet. l.obseruare, §.fin.ff.de off.procons. & lega. in quo mandato non comprahenditur merum imperiũ, hoc est, animaduersio. l.1.§.fina.versi.quare nemo, ff.de offic.eius. legatus enim mandata sibi iurisdictione non habet potestatem prahendendi aut in carcere duci iubendi, accusationes reorum recipiendi vel de custodijs cognoscendi, sed hoc ei extraordinariè demandari solet, ac nec id citra maximum temperamentum. Nimirum vt reos in vincula conijciat, eosque interroget, & si innoxios repererit, ipse sententia sua dimittat: verùm quando res animaduersionem exigit, legatus ad procõsulem praauditas custodias remittere debet, l.solent, in princ. in quo legendum esse, legato, & remittat, singulari numero: suadent tam verba subsequentia, quàm leges pracedentes, l.si quid erit. ff. de off.procons.& leg.& l.vni.C.eod.tit.

Item cum lex dicit, alicui mandatam esse iurisdictionem, de eo sanè loqui intendit, cui generaliter ciuilium causarum mandata est cognitio, cùm merum imperium mandari non possit, nisi ab absente,

ſente,iuriſdictio autem etiam à præſente,l.1.verſi. huius rei.ſup.tit.2.

12 Adde,† iure Pandectarum prætorem aut alium iudicem ordinarium poſſe iuriſdictionem ſuam omnem,hoc eſt,cauſarum ciuilium vel cognitionem,vel ſpeciem vnam demandare, l.more maiorum.l.ſolent,l.prætor.infr.eod.

13 Item † quando l.vn.ff.ſi quis ius dicen.non obtemp.decernit, omnes magiſtratus poſſe pœnali iudicio iuriſdictionem ſuam defendere, de iis euidenter loquitur,qui ciuilium cauſarum rationem habent. Nam de iis, qui merum imperium exercent,ſuperuacaneum eſſet & otioſum diſponere: cùm eis omnis coercitio permiſſa conceſſaque in-
14 dubiè cenſeatur.Porrò † Cicero in Oratione pro L.Muræna iuris dicundi poteſtatem pro ciuilium cauſarum cognitione accepit, dum ait inter ſortem L.Murenæ & Seruij Sulpitij in officio præturæ multum interfuiſſe: Murænam enim iuriſdicũdi auctoritatem ſortitum fuiſſe, in qua ſapiens prætor omnem euitat offenſionem, modò æquè decernat & leniter audiat:Seruium autem Sulpitium ſortitum fuiſſe peculatus, & criminalium cauſarum cognitionem triſtem & atrocẽ. In qua accuſator lachrymarum & ſqualoris plenus ſit, reus catenarum & iudicium & teſtium, qui cogendi ſunt, & inuiti plerunq; contra voluntatem retinendi,ex qua cognitione vix euites quin multorum offenſionem in te commoueas, ſi damnetur ſcriba,totus ordo ſcribarum erit alienus & infenſus. Si Syllanam gratificationem & liberalitatem repræhendas,multi viri fortes & propè pars ciuitatis offendetur.Cicero,mea ſententia, apertè illic demonſtrat,multum intereſſe inter iuriſdictionem ſiue iuriſdicundi poteſtatem, & cauſarum

crimi-

criminalium cognitionem. Quin officium † totum iurisdicendi in causarum ciuilium cognitione consistere liquidò probat, l.1.§.damus.ff.de suspect.tutor. Mandata enim iurisdictione à Proconsule offic. totum iurisdicendi in legatum transit, non autem animaduersio, siue merum imperium d.l.1.§.fin.sup.tit.2. 15

17 Hoc ampliùs legibus † nostris definitum est, non posse in ius sine fraude vocari maiores magistratus qui merum habent imperium, siue potestatem, d.l.2.in princip.ff.de in ius voc. Siue plenissimum habeant imperium, siue potestatem aliquam hoc est, speciem aliquam imperij l.sed & si. §. hæc clausula.ff.ex quib.caus. maior. Qui verò siue imperio vel potestate iurisdictionē solam obtinent, ij tanquam minores magistratibus in ius impunè, quàm diu in magistratu sunt, vocari possunt. Nec est expectandum, quòd à magistratu abeant, l.nec magistratibus.ff.de iniur.glo.in l. pars literarum, ff.de iud. Quarum legum dispositioni adstipulatur Aulus Gell.in noctib. Atticis lib.13.cap.13.dum ex sententia Varronis asserit eos, qui præhensionis potestatem non habent, quales sunt Aediles & Quæstores in ius vocari posse. Præhendere enim enim apud Varronem idem denotat, quod apud Iureconsultum in d.l.2. coercere (quod vulgò arrestare dicimus) & in carcerem duci iubere, quòd etiam annotauit Budæus verborum interpres diligentissimus in l.vlt.ff.de Senat.

Ex his luculenter † & satis apertè liquet, iurisdictionem in specie, quam Doctores simplicem appellant, nihil quàm causarum ciuilium cognitionem significare: quod & nominat im dixit Bart. in l.nec quicquam, §.vbi decretum, ff.de offi. procons.post gl.in l.inter.ff.ad muni. 18

Illud

18 Illud autem † obiter καὶ κατὰ πάρεργον, iuuat enũciare iuriſdictionem in iure noſtro nonnunquam pro edicto prætoris, quo vel maximè ipſius iuriſdictio explicabitur accipi, l. ſi quis id quod iuriſdictionis perpetuæ, id eſt, edicti perpetui cauſa. inf. ead. l. quamuis, ff. de in ius vocan. & l. ſtipulatio. §. 19 prætoriæ, ff. de verbor. obligat. Ex qua † ſignificatione prodit nouus & facilis intellectus l. poſtquam. §. 1. ff. vt leg. vel fidei. cauſ. cauea. vbi ſemel atque iterum eo ſignificatu hoc verbum intelligẽdum exiſtimaui. Refert illic Papin. diuerſam fuiſſe conditionem edicti prætorij, & reſcripti à M. Anto. ad Iul. Balbum miſſi, ſuper cautione legati ſeruandi cauſa præſtanda. Edictum enim prætoris legatario, ſi ei non cauebatur, poſſeſſionem omnium rerum hæreditariarum cuſtodiæ cauſa, citra cautionem concedebat, reſcriptum verò Imperatoris in poſſeſſionem rei legatæ tantummodò & & data cautione legatarium inducit, exemplo illius, quod de collatione bonorum adducit, ex forma iuriſdictionis, hoc eſt, edicti prætorij, de quo in l. 1. §. iubet autem prætor. infr. de collat. bonor. Non aliter itaque per reſcriptum Imperatoris legatarius poſſeſſionem legati conſequetur, quàm ſi cauerit, etiam ſi per contumaciam hæres cauere recuſauerit. Si verò hoc caſu legatarius ipſe non potuerit cauere, res apud ſequeſtrum deponẽda eſt, vel iuriſdictio reſtituenda, id eſt, edictũ prætoris, quod citra cautionem legatarium in poſſeſſ. inducebat, & in priſtinum ſtatum & vigorem reponendum eſt. Eo enim caſu legatarius citra cautionem ſi iudici libuerit, poſſidebit, non quidem ex reſcripto Imperatoris, ſed ex edicto prætoris & eius iuriſdictione, quæ eo caſu reſtituetur, hoc eſt, vigo-
20 rem ſuum retinebit. Siquidẽ † reſtituere apud I.C.

in pri-

in pristinum statũ reponere crebrò significat. Vnde inter dicta restitutoria appellata sunt. l. 2. §. si quis nemine. & §. restituas. ff. ne q.d in lo. publ. Hic est epilogus meri imperij & iurisd. definitionum.

Verùm enimuerò, † quando pro faciliori ciuilium causarum, hoc est, iurisdictionis exercitio & expeditione modica coercitio plerunque est necessaria, aut opportuna, eiusmodi coercitionem, mixti imperij, quod iurisdictioni seruit, esse, per hanc legem iudicabimus. Quin mixtum hoc imperium siue modica coercitio omnib. competit, qui habent ciuilium causarum cognitionem. Nã mandata † iurisdictione, hoc est, ciuilium causarum notione, transit imperium, quod non est merum, hoc est, imperium mixtum, quia sine modica coercitiõe, hoc est, sine mixto imperio, iurisdictio nulla est, hoc est, facilè coerceri non potest, d. l. fin. ff. de offic. eius cui mand. est iurisdict. iudicio meo, lex illa tam apertè definit, tamque manifestè elucidat, quid sit mixtum imperium, vt iam amplius super eius definitione disputandum vel dubitandum non sit. 21 22

Reliquum est omnes causas esse ciuiles aut criminales, si ciuiles sunt, dicuntur iurisdictionis, si criminales, censentur esse meri imperij. Mixtum autem imperium coercitio est iurisdictioni permixta, vel causis ciuilibus adhærens, vt suprà diximus. Non † omittam obiter hoc dicere, nos in tota Gallia passim alijs nominibus iudicum potestatem appellare. Siquidem iurisdictionem in Altam Mediam & Bassam diuidimus. Altam cõtenderim esse merum imperium, siue in criminalibus causis ius dicendi auctoritatem, Vnde lictores, qui suspendio, decapitationi, fustigationive malefactorum addicti sunt altæ iustitiæ executores, tum 23

regiæ

regiæ constitutiones, tum vulgus appellant. Mediam autem & bassam iurisdictionem putamus ei competere, qui ciuilium causarum habent cognitionem. Sed media est cum de realibus personalibus, mixtisve actionibus iudex cognoscit. Bassa verò, quæ domino soli, villæ, vel vici competit ad tutanda tantummodò iura, quæ à subditis annuatim ei penduntur, quam fonceriam à fundo consuetudines prouinciarum plerunque denominãt. Ea verba si vsus regionis aliter interpretetur, ei standum est, iux. l. cùm de lanionis. §. asinam. ff. de fun. instruct. & l. librorum. §. quod tamen Cassius. ff. de legat. 3.

## SVMMARIA.

*1 Merum imperium quibus competat.*

*2 Merum imperium qui magistratus apud Romanos haberent, & num. 4.*

*5 Prætor habuerit nec ne merum imperium apud Romanos.*

Circa meri imperij definitionem non insistam hic amplius. Ea enim suprà in secunda parte nostri libelli satis amplè & apertè cum Angelo defensauimus, & super ea disputauimus. Hoc tantum nobis pertractandum est, quibus merum imperium competat, & num sit delegabile.

1 Quod ad primum attinet, † credo merum imperium illis solum competere, quibus à lege, Senatusconsult. vel Principum constitutione specialiter & nominatim est concessum. Non enim imperium huiusmodi generali concessione iurisdictionis, aut aliter confusa & indeterminata ver

borum

borum congerie vel formula transfertur, sed ipsum speciali & expressa denominatione concedi necessum est, argum. l. 1. §. fin. sup. titu. 2. In his verbis (merum imperium quod lege datur) & l. nemo potest gladij. ff. de reg. iur. adde l. qui neque iurisdictioni, id est, causarum ciuilium notioni pręest, neque à principe potestate aliqua, id est, mero aliquo imperio pręditus est, &c. ff. de iudi. Prætereà merum imperium tanti ponderis est, ac tam magni momenti, vt speciali nota in concessione dignũ sit. arg. l. item apud. §. ait prętor. ff. de iniur. faciunt quæ à nobis tractabuntur in 4. parte nostri libelli. in 1. q. Porrò † merum hoc imperium habuisse quatuor magistratus enarrat, l. 2. in prin. ff. de in ius vocand. & l. sed & si. §. hæc clausula. ff. ex quibus causis maior. 2

Primum, consulem cui tametsi in caput ciuis Rom. iniussu populi animaduertere nõ liceret, relictum erat, vt coercere posset, & in carcerem duci iuberet, l. 2. §. exactis, ff. de orig. iur. Deinde pręfectum prætorio, quo nomine apud Gallos hodie Cancellarius appellari potest. Ille enim regali curiæ associatus, secundam post Regem Christianissimũ dignitatem gerit, & ab eo minimè prouocatio esse solet. l. vni. sup. de off. præfect. præto. Constat autem Romanorum crescente imperio inoleuisse, vt vnus in Oriente, alius in Africa alijsq; remotioribus locis, præfecti prætorio constitueretur, ꝙ duo tituli in Codice Iustiniani demonstrant, & ad eos à Proconsulibus rectoribusq; prouinciarum interpositæ appellationes reuoluebantur. l. pręcipimus. §. 1. C. de appel.

Vel expone præfectum vrbis, qui omnia omninò crimina, quæ in vrbe vel extra vrbem ad centesimum miliarium committuntur, notioni suæ

vendicat. l.1. ff. de offic. præfect. vrb.

Siue præfectum vigilum, qui aliquid habet imperij, l.3. §. cognoscit, & l. fi. ff. de off. præfect. vigil.

3 Tertiò adde prætorem,† cui coercere & in carcerem duci iubere per dictas leges licitum erat. Cæterùm à nostris legibus grauiorem animaduersionem in vrbe Romana inuenio aliquando ei esse denegatam, & ad præfectum vrbis remittendã, l.1. §. fin. ff. de suspec. tut. l.1. §. item solent, ff. de offic. præfect.. vrb. Tametsi in l.2. §. post aliquot. ff. de origin. iur. legimus Cornelium Syllam quæstiones publicas instituisse de falso, de parricidio, de sicarijs, & prætores quatuor adiecisse. Est etiam apud Plutarchum in vita Ciceronis, Licinium Marcum peculatus, & Mantium repetundarum apud Ciceronem prætorem postulatus fuisse. Idem ait Catonem Vticensem sæpè nudis pedibus & sine toga ad rostra Præturæ venisse, ibique clarorum virorum capitales causas audiuisse.

Quinetiam apud Ciceronem in Oratione pro lege Muræna Seruium Sulpitium quæstionem peculatus & criminalium causarum cognitionem in prætura sortitum, suprà alio loco est à nobis annotatum. Verùm vtcunque se res habeat, prætorem habuisse imperium cõstat ex d.l. 2. & d. §. hęc clausula. Et ex sententia Cai. Tuditani refert Gellius lib.13. cap.14. prætorem minus imperium, consulẽ maius habuisse. Adde l. libellorum, in princi. ff. de accusa. quæ innuit apud prætorem adulterij reos postulari posse. Item l.1. in princ. versi. etsi à familia. sup. tit. 2. prætori cognitionem de domino à familia occiso concedit.

4 Quartò addit † d.l.2. Proconsulem qui plenissimum in prouincia habet imperium. l. si in aliquã. §. fin. ff. de off. procons. & lega. Quintò dictatorem habu-

habuisse merum imperium & maius consulibus, ex eo constat, quod iniussu populi in caput ciuis Romani animaduertebat, nec ab eo erat prouocatio. l. 2. §. populo deinde aucto. ff. de orig. iur. Tu ad de præsidem vel rectorem siue moderatorem prouinciæ. l. 4. & l. illicitas, §. qui vniuersas. ff. de offi. præsid. Item quæstores parricidij & latrunculatores causis duntaxat criminalib. præfuisse legimus in l. 2. §. & quia. ff. de orig. iur. & in l. solemus. §. latrunculator. ff. de iudic. Multos prætereà ex legibus nostris colligas, qui merum imperium habebant, sed hos annotasse nobis vtique fuerit satis, qui omnia persequi non sumus polliciti.

## *SVMMARIA.*

1 *Merum imperium non posse per eum, cui concessum est, alteri delegari, & an id sit perpetuum, & num. 3. & 6.*

2 *Iudicem dari non posse in vna causa meri imperij.*

4 *Intellectus ad l. cum prætor, §. item ij. ff. de iud.*

5 *Iudicem à Principe in causa criminali datum posse eam causam alteri delegare.*

EX suprascriptis emergit † alterius quæstiōis solutio: nempè merum imperium non posse ab eo cui concessum est delegari, quia quæ à lege Senatusc͠o. & c. d. l. 1. in prin. Quamuis aūt illa lex videatur innuere aliquas causas criminales, non autē omnes specialiter concedi, quando nominatim exēpla proponit de crimine adulterij, & de domino à familia occiso, quorum coercitiones per l. Iul. & S. C. Syllania. specialiter conceduntur tamen eadem lex in fine consequēter infert, & colligit merum imperium quod lege datur (intellige

 specia-

ſpecialiter)non poſſe mandata iuriſdi.tranſire: legatumq; Proconſulis animaduerſionem mandata iuriſd.nō habere ea ratione quæ ponitur in princ. l.quia quæ à lege,Senatuſ.&c. Ex qua illatione ſatis euidenter apparet omnem animaduerſionē ſpecialiter à l.competere, atq; ideò mandata iuriſdi. non tranſire,accedat,quod cauſæ, quæ ſpecialiter non tribuuntur,ſed iura magiſtratus competunt, mandari poſſunt.d.l.in prin.generaliter aūt cauſę meri imperij demandari non poſſunt, cùm nemo gladij poteſtatem ſibi datam ad alium transferre poſſit,d.l.nemo poteſt,& l.ſolent.in prin.ff.de offic.proconſ.& leg. Ergo merum imperiū extra exempla in prin.illius legis poſita, ſpecialiter competere atq; eo nomine non poſſe alteri delegare,
2 magis dicendum eſt.Adde † quod vt merum imperium vel vna ipſius ſpecies non poteſt alteri mandari,ita nec in vna cauſa meri imperij poteſt iudex dari,hoc expreſſim probat l. placet. C. de peda.iud.& l.1.in prin.ad fin.ſup.tit.2.

3 Hæc autem regula † non conſiſtit, quando habens merum imperium eſſet abſens, aut longiori infirmitate detentus. Hic enim totum merum imperium,nedum vna ſpecies vel cauſa poteſt delegari.d.l.1.in prin.Eadem ratione puto Barto.benè ſenſiſſe in d.l.1.& Ang.in d.l.placet,dum aiunt,iudicibus multitudine cauſarum criminaliū oppreſſis,liberum eſſe alt quas delegare, & in eis iudices dare,licet aliter opinentur Salic.in d.l. placet, &
4 Alex.in d.l.1.† Pro Bart.autem ſententia puto eſſe locum ſpecialem in l. cùm prætor. §. item ij. ff. de iudi.quem noua interpretatione ſic explico,nimirùm præfectum vrbis ac cæteros Romæ magiſtratus poſſe iudices dare propter vim imperij, hoc eſt,propter magnam & amplam criminalium cau

ſarum

sarum ingruentem molem: ergo cum ipsi earum multitudine copiaque nimis aggrauātur, possunt in causa criminali iudices dare.

Addo † tertium temperamentum, vt causa meri imperij possit delegari, quando à principe datus est iudex in causa meri imperij, ita ferè omnes in d.l.1.in prin. in l.à iudice.C.de iud.& in c.quod sedes,ext.de off.ord.Citatur præcipuè in assertionem huius opinionis,l.vni. C.qui pro sua iurisdi. in verbis (nullo personarum causarumq; habito tractatu)ad quam apertè respondet Iacob.in d.l.1. Pro hac autem exceptione facit,quod faciliùs delegat,qui à principe, quàm qui à principis constitutione causam habet delegatam,gl.in l.1.C.ne lice.potē.de qua inferius in enarratione d.l.1.Quarta † erit restrictio atq; exceptio causas meri imperij per canonicas sanctiones & iura Rom. Pontifi. posse delegari,siquidem Archiepiscopi,Episcopi & alij quicunq; proceres Ecclesiastici merum imperium habentes,illud alteri committere soleāt, c.2.de offic.vica.l.6.Clem.1.§.1.de hære. ita omnes in d.c.quod sedes. Hoc etiā iure vtimur in Gallia, vt teneantur optimates Ecclesiastici iurisdictionē prophanam & temporalē,nedum merum imperium;secularibus personis exercendā committere, quo facilius si in ea erratum sit, & litem suā fecerint,iudices,causam dicere,&per regios magistratus distringi possint,& ita plurib.Senatus decretis constitutū est.Hęc de mero imper.dicta sufficiant. 5 6

*SVMMARIA.*

1 *Iurisdictio quibus competat.*

2 *Magistratus qui sint, qui sola iurisdictione non etiā imperio vtantur. & nu.4.*

3 *Intellectus ad l.fin.ff.de offic.procur.Cæsar.*

1 QVod ad iurisdictionem † attinet, exploratissimum est, eam competere omnibus, quibus à l. moribus, Senatuscons. vel principũ constitutione concessum est: argumento est l. & qui. infr. eo. Competit autem iure magistratus, nec est necesse nominatim & specialiter eam sicuti merum imperiũ à lege deferri. Multi enim magistratus eam sibi vendicant, qui simul & merum habẽt imperium, quales sunt Pręsides, Proconsules, Prę-
2 tores, Præfectus vrbis & pleriq; alij, paucos † verò nostris legibus inuenias, qui iurisdictione sola innitantur. Inter quos Duumuiri siue magistratus municipales enarrantur, quibus ne mixtum quidẽ imperium concedebatur, quod inferius à nobis opportuniore loco explicabitur. Item defensores ciuitatum, qui de pecuniarijs causis ad trecentos vsque aureos ius dicunt, §. & iudicare, in auth. & toto tit. C. de defens. ciui. At quibus adhuc per authẽticas constitutiones leuiora crimina audire, & castigatione competenti vindicare permissum est. §. audient. in auth. de defen. ciui. Adde procuratorẽ Cæsaris vel fisci siue rationalem, qui de causis ciuilibus inter fiscum & priuatum vel colonos fiscales cognoscit, ad delictorum autem punitionem declarationemq; partes suas admouere nõ debet, l. 1. l. cũ aliquid. & l. pen. C. vbi cau. fisc. l. nec quic-
3 quam, in prin. ff. de off. procons. & lega. † facit l. vl. ff. de off. procu. Cæsa. vbi curator Cæsaris deportãdi ius non habet, quia pœnæ constituendę ius non habet, hoc est, quia mero nõ potitur imperio. Dele autem in ea lege hoc pronomen, huius, non enim valeret ratio, quę dicto penitus responderet, l. qui interrogatus. ff. de pet. hæred. Quamuis autẽ procurator Cæsaris pœnæ infligendæ ius non habeat, tamẽ si quempiã quasi tumultuosum & in colonos

lonos Cæsaris iniuriosum accedere in prædia Cæsaris prohibuerit, ille cui ita interdictum fuerit abstinere debebit, nec permissu procuratoris redire poterit. Eam verò à prędijs Cæsaris euictionem quasi mixti imperij esse meritò putauerim, et à procuratore Cæsaris exerceri, quo facilius colonos iurisd. suæ commissos in quiete contineat. Quod autem in d. l. vlt. C. vbi cau. fisca. de criminali negotio scribitur, ad præpositos sacri cubiculi directum est, & pertinet.

Præterea † Aediles solam iurisdictionem obtinuisse vel ex hoc maximè constare potest, quod in ius vocari possunt. l. lectos, & l. seq. ff. de peric. & commo. rei vend. Et id ex sententia Varronis asserit Gel. lib. 13. cap. 13. Item cõmuniter hic traditur, & in l. fi. C. de iurisd. om. iud. ac in auth. habita. C. ne fil. pro pa. primores approbatorum collegiorũ vel iudices, ac rectores studiorum solam sibi iurisdictionem vendicare. Deniq; in Gallia meri impe rij exercitatio magistratum plerisque per constitutiones regias inhibetur, quales sunt, quos requestarum regij palatij magistros vulgò dicimus, & conseruatores priuilegiorum, quæ ad studiorum, nundinarumve rem pertinent. 4

## SVMMARIA.

1 *Iudices ordinarios potuisse iure Pandectarum omnem suam iurisdictionem alteri demandari.*
2 *Intellectus ad l. & quia. ff. de iurisd. om. iud.*
3 *Iudex non potest alteri delegare eam causam ciuilem, cuius cognitio ei specialiter à lege, Senatusconsulto, vel principum constitutione concessa est.*
4 *Iudices aut Præsides, an & quatenus iure nouissi-*

*mo vices suas alijs demandare poßint.*
5 *Iurisdictio voluntaria posset nec ne alteri delegari, & num. seq. & 7.*

1 CAEterùm † iudices qui iurisdictionem habent, non solum in vna causa dare iudicem, verum & omnem suam iurisdi. vel speciem aliquam, aut in personas certas mãdare possunt, d. l. 1. in prin. sup. tit. 2. l. solent, & l. prætor. infr. eod. More enim maiorum ita comparatum est, vt is mã dare iurisd. possit qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet, hoc est, qui ordinari⁹ est iudex &
2 à lege datus, l. more. inf. eod. Post † quã legem Iuli. sequitur. l. & quia, quę est Pauli accisa nimiũ meo iudicio. Supplenda enim est ad eã huiusmodi sententia, eũ qui alieno beneficio habet mandatã iurisdictioné, non posse eam alteri demandare, quia principaliter ei iurisd. data nõ est. nec lex ipsa defert, sed cõfirmat mandatã iurisd. ideoq; si is, &c.
3 Hanc autem † regulam restringe & limita, ne iudices, quibus aliquæ causę ciuiles à lege, Senatusc. vel Principum constitutione specialiter con cessę sunt, possunt eas alteri demãdare vel in eis iu dices dare, dabimus exépla, qua de explanatione
4 l. 1. supr. tit. 2. fiet disputatio. Rursum † tempora su prascriptam conclusionem per iura nouissimorũ Imper. quibus receptum est & cautũ, ne præsides, rectores, aut alij iud. ordinarij faciãt aliquos sui loci seruatores, vt sup. diximus in nostris ad inter pretationé d. l. placet, pręfa. Constat aũt eis in causis magnis, & 300. aureos excedentibus, licere daré iudic. ex causa impedimenti, & in humiliorib. constituere pedaneos, vt latè & antè explicuimus in noua l. placet. intelligentia, vbi multa quæ hic repetita, fastidium generarent, inseruimus. Tertiò

tiò † ctebrior hîc ſcribentium cõſenſus eſt, iuriſd. 5.
voluntariam non poſſe alteri delegari, ex ſententia gl. in l. ab ea parte. ff. de probat. vbi Bald. notat. Idem Bal. in l. 3. C. quandò prouo. non eſt neceſſe. Iſtud etiam approbant interpretes iuris Canonici & potiſſimùm Felin. in d. c. quòd ſedes. Qui pro præcipua ratione afferunt in ijs, quæ ſunt voluntariæ iuriſd. verſari nudum miniſterium, quòd nõ poteſt alteri demandari, c. fin. ext. de offic. delega. Contrariam opinionem tenuit idem ipſe Bal. in l. 2. de off. procon. & lega. per l. apud proconſulem. ff. de manu vindict.

Putarem, † ſaluo ſaniori doctorum hominum 6
iudicio et examine, diſcordiam iſtarum opinionũ poſſe hac diſtinctione componi & conciliari, nimirum ſi à conſtitutione aliqua vel l. (vt dicunt) mortua, quam Cicero magiſtratum mutum in legibus vocitat, aliquis habet iuriſdict. voluntariam, poſſe eam generaliter vel ſpecialiter delegari, quandò nõ eſt tanti momenti ea poteſtas, quin per ſubſtitutum expediri poſſit, d. l. apud. & l. 2. ff. de offic. proconſ. & lega. Ea ratione dicimus Archiepiſcopos, Epiſcopos & alios Eccleſiæ prælatos poſſe collationes beneficiorum eccleſiaſticorum, ordinum miniſtrationes, & pleraque id genus, perſonis habilibus, eorumque officiorum capacibus demandare, c. fi. de offi. vica. lib. 6. c. aqua. de conſecra. eccl. vel alt. Item archipresbyter, qui iure communi tanquàm vicarius Epiſcopi poteſt multa, quæ ſunt iuriſd. voluntariæ poteſt ea alijs committere, c. 2. & 3. vbi Abb. ext. de offic. Archipresb. Adde quod de ſummi Pont. pœnitentiario ſcribitur in c. 1. §. fin. de temp. ord. lib. 6. nempè eũ poſſe diſpenſandi poteſtatem quam ordinario iure obtinet, alij committere. Faciunt quæ notat Ar-

chidia.in c.perlectis.15.dist. & Ancha.in Clem.1.
7 de offi.deleg. Si verò † à principe & à viua(vt inquiunt)lege,siue à lege(vt verbis vtar Ciceronis) loquente alicui datur iurisd.voluntaria,quandoquidem nudum ministerium eo casu conceditur, non potest in alium transferri per rationem, d. c. fin.§.fin.ext.de offic.deleg. & facit c.pen.§.prohibemus.de off.lega.lib.6.Hinc emergit,comites palatinos, qui à Roma.Pontificibus impetrant,vt legitimare,doctores,tabellationesq; creare possint non posse eam potestatem ad alium trāsferre, aut in ea substituere. Quod & retulit Bald.in rub.ext. de off.delega.in l.stella.ad princ.C.de re iudic. & probat Alex.in hac l.imperium. Hoc autem secundum membrum nō procedere, tum maximè receptum est,quandò delegatus eam sibi vendicat potestatem certis à principe nominatis personis coarctatam & limitatam, vnde apparet, industriam hominis in hoc ministerio nō fuisse electam, c.is cui apostolica.de off.delega.lib.6. Porrò ad prædictam compositionem faciendam nos suadent et impellunt duo canones in hac doctrina vulgati, nempè c. ext. de offic.ordina. vbi quia absoluendi & excommunicandi iure ordi. habent potestatem,delegant.Item d.c.fina.§.fina. ext.de offic.delegat.quod agit de iudicibus per summum Pontificem ad supra dicta delegatis, qui subdelegare non possunt.

## *SVMMARIA.*

*1 Mixtum imperium quid sit,& quibus competat.*

*2 Mixti imperij exempla varia, & nume.seq. vsque ad num.8.*

*9 Mixtum imperium exerceri officio iudicis mercenario.*

*naria, contra quam Bartolus ac sequaces opinati sunt.*

10 *Restitutionem in integrum, bonorũ possessionis dationem, adoptionem, manumissionem, emancipationem, iurisdictionis esse, non mixti imperij.*

11 *Imperij appellatio, quàm latè nonnunquàm pateat,*

12 *Legis actio apud quos esse dicatur. & nu. 13.*

14 *Restitutionem in integrum non solùm delegari posse, sed etiam mandata iurisdictione transire.*

15 *Intellectus ad l. fi. C. vbi & apud quos cogni. in integrum resti. agend. sit.*

16 *Iudices dati ab ijs, qui mandatam Iurisdictionem habent, non possunt in integrum restituere.*

17 *Canonistarum imperitia notatur circa interpretationem aliquarum dictionum.*

18 *Sestitutionem in integrum apud Gallos à solo principe impetrari.*

19 *Restitutionem aduersus sententiam auditis partibus à iudice prolatam, non dari apud Gallos.*

20 *Restitutio aduersus arrestum supremæ curiæ, quibus casibus soleat apud Gallos dari.*

21 *Restitutionem in integrum apud Gallos facilè impetrari aduersus sententiam ex contumacia latam, & an etiam aduersus arrestum ex contumacia latum.*

22 *Tutoris datio an sit imperij, an iurisdictionis, an verò neutrius. & nu. 26.*

23 *Decuriones imperium aut iurisdictionem non habent, atq; inibi quale sit eorum officium.*

24 *Appellari posse ad superiorem à statuto promulgato per corpus aut sodalitium aliquod, tametsi illud*

*nullam*

*nullam habeat iurisdictionem.*
25 *Duumuiri qui dicerentur, & an iurisdictionem exercerent.*
27 *Leges condere, legitimare, notarios tabellionesq́; creare nec imperij esse, nec iurisdictionis.*

VENIO ad mixti imperij disputationem, in qua scribentes & gl. dubio procul egregiè delirârunt, ac media via totoq; cœlo mea sententia aberrârunt. Itaque in explanatione illius latius immorabimur: atque disceptationem 4. art. claudemus. Primùm enim videbimus, quid sit mixtum imperium, exemplisque illud explicabimus. Deinde cui competat. Item illud esse delegabile. Postremò nõ solùm esse delegabile, verùm mandata iurisdict. & illud transire tractabimus.
1 Quod ad primum † attinet mixtum imperium (vt diximus) est modica coercitio, quæ iurisdictioni seruit, & sine qua iurisdictio commodè exerceri non potest, hoc vult hæc lex imperium, l. 1. §. fin. & l. fina. sup. tit. 2. quæ leges per hanc intelligentiam faciles sunt, & sine scrupulo sese nobis offerentes. Nec proponas exempla mixti imperij quæ Bar. & alij tradunt & effinxerunt: quia paucis exceptis
2 omnia à vera definitione longè deficiunt. Pone † igitur exemplum in iussu de cauẽdo, & in missione in possessionem bonorum. Nam iudex vt commodius exerceatur iudicium ciuile coercet nonnunquàm verbo, dum iubet aliquem prędibus vel prædijs cauere, vt rem ratam haberi, iudicatũ solui, iudicio sisti aliquâdò facto: vt quãdò in actiõe dãni infecti, in actione vt legatorũ nomine caueatur, cõtra contumacẽ & satisdare recusantẽ decernit, in poss. bonor. missione, hæc enim duæ coercitiones tam verbo quàm facto sunt mixti imperij, d. l. iu-

cauere. Prætereà †coercere pignoribus captis,excommunicare inobedientem, aduocationibus,officio vel foro interdicere obiter delinquentem, mulctare pertinacem, denegare audientiam minus obsequenti,iuxt.l.sed etsi per prætorem.§.sed & si dum decreto.ff.ex quib. cau. maio. Decreto prætoris non obtemperantem in vincula conijcere,iuxta l.iniuriarum.§.si quis quòd decreto.ff.de iniur.Condemnare contumacem in expensis,iux. l.sancimus.C.de iudic. Habere eum pro confesso, qui non respondet, vel de calumnia iurare recusat,iux.l.de ætate.§.qui tacuit.ff. de interro.act. & l.2.§.sin autem reus.C.de iura.calum.Torquere testem in causa pecuniaria,si aliter veritus inueniri non possit,iux.l.Diuus.in prin.ff.de quæst.Item in eum qui in causa ciuili falsum produxerit instrumentum,testimoniumve iniquum protulerit, modicè animaduertere, iux.l.D.pius.ff.ad l. Corn.de fal. Omnia,inquam,supradicta & pleraq; illis similia opinor, imò constanter asseuero, esse mixti imperij, quòd modicam contineant animaduersionem,& ad hoc per iudicem explicentur, vt faciliùs suam iurisdict. expediat. Et hoc scriptum reliquit Bart.in l.magistratibus. inf.eod.conscius aliquantum huius mix.imp.definitionis. Itaque † cùm prætor in causa ciuili ius dicendo vtitur aliqua coercitione,vel quempiam remedijs suis,pœnalive iudicio cogit,censetur mix.imper.seu iure suæ potestatis (quæ dici potest potestas mixta siue mix.imp.) vti,& iurisdict.suam explicare.Eo†imperio mulier, quæ se prægnantem dissimulat, cogenda est à prætore in ius venire, & si venerit,respondere,pignoraque eius capienda & distrahenda,si contemnet,vel mulctis coercenda. Quid ergo si inspici se non patiatur, vel ad domum non veniat?

veniat? æquè prætoris auctoritas, hoc est imperiũ & coercitio interueniet, l. 1. §. igitur princeps. ff.
6 de ven. inspicien. Item † si quis legati fideicommissi ve seruandi aut damni infecti causa in ius ad prætorem vocatus non promittit, vel satis nõ dat, pœna eius est, vt in posses. mero iudicis imperio mittatur aduersarius, l. fi. §. fi. ff. ne vis fiat ei & tot.
7 tit. vt in poss. legat. ff. Eodẽ imperio † prætor quem decreuit in pos. mittendũ non solũ tuetur, sed etiam reluctãte aduersario iure suæ potestatis inducit in poss. nonnunq̃ etiam per manũ militarem, l.
8 si quis missus. ff. ne vis fiat ei. Sic pœnali † iudicio idem prætor mulierẽ quæ ventris nomine calumniosè in possessionẽ missa fuisse conuincitur, ac à possessione sua potestate vel manu ministrorum deijcit, ac discedere cogit, infamemq; sententiæ sua pronuntiat, l. notatur, & l. seq. ff. de his qui nota. infa. l. 1. §. hanc autem. ff. si muli. ven. no. & l. 1. §. necess. ff. si ven. nomi. mul. in poss. in qua posteriore lege ciuilius agit prætor nõ vtens protinùs mixto suo imperio, quia illic de tertia persona fit mentio, cùm qua nihil prius egerat prætor. Itaq; interdicto melius est primum agere, deinde mixto, de quo illa lex, imperio contra tertium vti.

Sic denique ac generaliter omnibus magistratibus permissum est, mixt. impe. secundùm ius suæ potestatis defendere. l. vni. in princ. ff. si quis ius dicen. non obtemper.

9 Porrò aduertendum est, † nos illud præter omnium sententiam & cõtra Bar. communemq; definitionẽ, liberè posse defendere & sustinere, nempè eam modicam coercitionem, quod mixtum imperium vocamus, & definimus exerceri officio iudicis mercenario, non autem nobili, siquidem ea iurisdictioni expediundæ atq; actionibus explican-

plicandis obsequitur & seruit, nec aliam ob causam mixtum imperium iudicibus concessum est, quàm vt actionibus iurisdictionibusque opem & auxilium ferat, atque ijs, quę principaliter petuntur actione vel officio iudicis, inseruiat, faciunt, quæ suprà diximus in expositione l. iubere cauere. Nec verò † deinceps credideris, restitutionem in integrum, & dationem bonorum possess. esse mixti imperij. Nam verius est eas esse iurisdictionis, cùm nullam vtique secum trahunt coercitionem, exerceanturque à iudicibus non quidem imperij vi sed iurisdictionis. 10

Idem & de adoptione, manumissione, & emancipatiōe dicendū contendo. Quibus enim (rogo) legibus proditum est eas esse mixti imperij? Imperio (inquies) magistratus adoptamus, l. 2. ff. de adop. quasi † hoc verbum Imperium latissimè plerunq; non pateat, & non omnem iudicis aūctoritatē potestatemq; significet, iuxta illud par in parem non exercere imperium, l. 3. §. fi. cum l. seq. ff. de arb. & l. quod iussit. ff. de re iud. Prætereà suprascripta iurisdict. esse voluntariæ nominatim ait, l. 2. ff. de offic. procons. & legat. Adijcimus insuper manumissiones, adoptiones & emancipationes apud magistratus explicari, apud quos est legis actio, d. l. 2. l. 4. ff. de adopt. & l. 1. C. de adopt. quæ verba denotant apud quemcunque magistratum, qui iurisdictionem habet, & de legitimis actionib[9] cognoscit, posse adoptari, manumitti vel emancipari. §. nostra. Instit. qui. mo. ius. pa. potest. sol. l. fi. C. de man. vindict. l. fi. C. de adop. & l. fi. C. de eman. lib. Legis † enim actio apud iudicem esse dicitur, cui de legitimis actionibus, quæ certis solennibusque verbis anteà concipiebantur, cognoscendi potestas à iure conceditur, l. 2. §. deinde 11 12

ex his legibus.ff.de orig.iur. Quocircà mihi eorũ sententia minimè probatur, qui putauerunt apud eos solùm legis actionem esse, qui mero mixtoq; quod veteres fabricati sunt,imperio potiebantur. Nam ex d.l.2.manifestum est & planum, l.actio.significare legitimam actionem, & apud eum l.act. esse,penes quem iurisd.est,seu causę ciuiles intenduntur, vnde apud legatum procons. non est ea l. actio antequàm ingressus fuerit prouinciam, cùm eo tempore non possit ei mandari iurisd. l. 2.3. & 4.§.fin.ff.eo ipso tit.de offi.procons. Posteà autem sic l.apud procons.ff.de man.vindict. Ex quibus liquidò resultat etiam apud eum esse l.actionem, qui merum non habeat imperium,siquidem legato procons. illud minimè competit, d.l. solet in princ.& nos sup.attigimus.Præterea apud iuridicum Alexandriæ est legis actio,l.1.ff.de offic.iuri. Alexand. quem tamen inter minores magistratus annumerari,vel ex eo maximè constat,quod vltimum inter eos locum tam in Iustiniani Codice, quàm in Pandectis sortitus est,in illo enim defensoribus ciuitatum & magistratibus municipalibus,in his procuratori Cæsaris postponitur,quos vtique non habere merum imperium alio à nobis
13 loco suprà declaratum est. Possumus † etiam explicare generalius, apud quem esse legis actionẽ, qui iudicare potest, & quod legis est ac rationis decernere,actoris enim est, lege agere, hoc est legitimam actionem intendere, iudicum lege agere,hoc est quod iustum est, & à lege constitutum decernere,lictorum denique est lege agere,id est, quod legis est & rationis exequi. De his Budæus nonnihil in suis annotationibus. Hæc obiter.Nũc autem reuertar ad mixti imperij definitionem, quæ quò clarior elucescat, disrumpendi sunt aliquot

quot obices, quos antiqui & qui communem amplexi sunt sententiam, possent aduersum eã opponere.

Primum dicent, restitutionẽ in integrum nullam sapere coercitionem, esse tamen mixti imperij. l. ea quæ. ff. ad muncipa. At respondeo in ea lege restitutionem in integrum non constitui vt exemplum mixti imperij, sed veluti magistratui municipali minimè competentem, nec à capite legis finis ipsius consequitur, sed separatim ponitur alia clausula complectens multa quę ad magistratum municipalem non pertinent. Itaque † teneamus restitutionem in integrum esse iurisdictiones, & non solum quocunque iure potuisse delegari, verum etiam mandata iurisdictio. transire. l. fin. ad fin. verb. (vel si generaliter dati sunt iudices, &c.) C. vbi & apud quos. quam † obiter declararandum prætermissis Accursij & aliorum interpretationibus hic lubenter suscipimus. Ecce I.C. in l. in causæ. §. fin. cum ll. sequ. ff. de mino. tradat de iudicibus ordinarijs & delegatis, qui possunt in integrum restituere. Iustinianus autem in hac l. vltim. hunc tractatum latius explicat & vult omneis iudices ordinarios posse in integrum restituere, item iudices pedaneos, qui ad humiliorum causarum notitionẽ delegati sunt, vt diximus. Amplius iudices delegatos à principe vel ab ordinarijs siue causa restitutiõis sit eis specialiter commissa, quòd iure veteri & Digestorum, vt clarè & absq; scrupulo nunc tenemus, fieri poterat, & decidit nominatim hæc l. vlti. in his verbis (quòd iure veteri nõ erat incognitum, cùm specialiter hæc nõ concedatur) siue huiusmodi delegatis sit mãdata generaliter vniuersitas causarũ: siue alia causa quàm restitutionis in

14 15

integrum specialiter fuerit delegata, & in ea inci derit occasio & quæstio restitutiõis. Prohibet verò Iustinianus arbitros in integrum restituere, item datos iudi. ab illis, qui propriam iurisdi. non habent. Adde magistratus municipales per d. l. ea quæ. Expone autem hæc verba illius l. (iudices datos ab illis, qui propriam iurisd. non habent, sed tantummodo iudicãdi facultatem) hoc est, datos ab illis, qui mandatam habent iurisd. Nam illi proprium nihil habent, sed eius, qui mãdauit, iurisdict. vtũtur l. 1. §. qui mandatam. sup. tit. 2. sanè ij, quibus mandata est iurisdictio, iud. dare possunt, hoc est aliquas causas speciatim delegare. l. cùm prætor. §. 1. ff. de iud. & sup. docuimus. Isti † verò ita dati iud. ab illis qui mandatam habent iurisd. non possunt in integrum restituere. Nam (vt inquit Imperator eadem l.) generaliter & regulariter, causas restitutionis in integrum possunt dirimere, qui certæ administrationi, cui iurisd. adhæret, præsunt; id est, qui habent ordinariam iurisd. vel qui ab Imperatore aut ordinarijs iud. sunt delegati. Cuiusmodi non sunt iudic. dati ab ijs, qui mandatam habent iurisdictionem. Ita facilè intelligenda est illa clausula quæ facit mentionem de iudicibus datis ab ijs, qui propriam iurisdictionem non habent, sed tantummodo iudicandi facultatem, in cuius expositione gl. diuinant, & sine lege loquuntur. Atqui eas amplexus est & secutus Gregorius nonus probi iuris magis quàm rectæ & probæ interpretationis Pontifex studiosus in c. caus. ext. de in integ. restit. decernens iudices delegatos ab ordinarijs administrationem nõ habentibus, sed tãtummodo iudicandi facultatẽ non posse in integrum restituere. ibi enim de ordinarijs facit mentionem, quos ab interpretibus

illius

illius legis vltimæ didicerat & mutuatus fuerat. Sed profectò nõ video quomodo iudices ordinarij habeant iudicandi facultatem,& nõ simul administrationem. Non † reluctaret, aut aliquid tētarem cõtra Decretum illud Romani Pontificis, ꝙ alioqui pro lege accipiendum est, nisi plerisq; alijs in locis probos illos patres inconcinna verborũ significatione lapsos viderem, dum etymologias Isidori & aliorum curiosè & nimis exquisitè, vt in hoc articulo glossarios nostros amplectantur. Argumento sunt tres illi lapsus quos in eis depræhendit Alciatus in disspunctionibus. 17

Dum metropolin à mẽsura ciuitatum dictam, summi illi patres opinati sunt, dũ ianitrices duorum fratrum vxores omisso græco vocabulo vocarunt, dum denique forum masculino genere & à phoroneo fandoue dictum enuntiauerunt.

Miratus sum etiam ipse sæpenumero Eugeniũ in cap. 1. 16. quæstione prima, protulisse monachum à monos & achos. Quod quàm absit à recta deriuatione nemo Græcè vel mediocriter doctus ignorat. Accedat quod in illo cap. causa. summus Pontifex rescribit, arbitros posse incidenter restituere, quod palam aduersatur constitutioni Imperatoris in d. l. vlti. Præterea Innocentius quartus, qui fuit & ipse summus Pontifex in illius c. causa. expositione, expresse sentit contra decretum Gregorij, arbitrum non posse vel incidenter restituere, per d. l. vltim. hæc paucis, in quibus si veritati magis quàm auctoritati acquiescam, ignoscet facilè (vt spero) bonus lector, & quisquis interpretationis solidæ fuerit studiosus.

Iuuat autem † obiter & non abs re hoc enuntiare, constitutionem imperatoriam in d. ict. l. vlti. moribus nostris in Gallia & foro seculari esse 18

sublatam & abrogatam. Nam qui aduersum obligationem, contractum vel ipso iure nullum, liberationem, confessionem, aliumve actum à se gestum venire, vel ex causa restitui volunt, rescriptum à rege & ex prætorio (quam Cancellariam nominant) impetrent necesse est, quod ad iudices ordinarios & rege constitutos, vel nonnunquam ad alios, si restitutio causa pendente inciderit, dirigitur.

19 Licet † autem iure ciuili & aduersum sententiam à se latam magistratus ex causa restituere valeant l. in causæ. §. lo. 1. §. causa autem. ff. de mino. Tamen extat constitutio regia, neminē aduersum sententiam iusto & legitimo contradictore prolatam restitutiōis auxilium implorare posse, sed ad suffragium appellationis conuolare debere.

16 Quòd † si aresto à quo non est prouocatio, res ꝓnunciata sit, restitutionem nisi certis casibus per regem vel à libellis regijs magistros concedi non est vsitatum.

Vnus est per formam supplicationis iuxta. legem si quis aduersus. & Authentica quæ supplicatio. C. de precibus Imperatori offerendis, & multorum Regū constitutiones, quæ huiusmodi supplicationem, propositionem erroris nominant, & duorum annorum spatio eam præscribunt. In ea autem specie iudices errasse & iniquitatem aresti allegamus, quod iure Digestorum non concedebatur l. præfecti. Digest. de minoribus.

Alius est, cùm falsis instrumentis testimonijsue per sordes ab aduersario corruptis arestum latum esse cōtendimus. iuxta. legem diuus. Digest. de re iudicata. leg. qui agnitis. Digest. de exceptionibus. & tot. titul. Cod. si ex falso instrumento.

Tertius est, cum dolosis aduersarij allegationibus secundum eum contra absentem qui contumax non est, iudicatum esse dicitur. iuxt. l. si prætor. §. Marcellus. ff. de iudic. d. l. præfecti ad final. Porrò † ordinarium est, quando res non contradictorio iudicio sed per contumaciam contra absentem deciditur, rescriptum facilè & absque vllo negotio à Rege impetrari, vt antiquata sententia refusisque expensis causa & res in integrum redeat, ac cōtumax audiatur coram iudice à quo prouocatio est. Verùm quando Senatusconsulto per contumaciam res decisa est, non solet aduersum illud, ob Senatus auctoritatem, restitutio temerè passimque & incoloratè concedi, sed iusta restitutionis causa in rescripto allegunda est, & postea probanda. Caussa verò huiusmodi aduersus arestum restitutionis pendente, interim pronuntiatum citra cautionem aliquam integrè & plenè executioni demandatur, iudicatumque facere condemnatus cogitur, & hoc iure vtimur, tametsi super hoc articulo multum disputant scriptores in lib. 2. §. condemnatum. ff. de re iudi. & alijs: Nunc redeo ad id, vnde aliquātulum sed non abs re digressus sum. Secundo loco contra mixti imperij definitionem dicent aliqui, si mixtum imperium est modica coercitio, sine qua iurisdictio expediri non potest, cur illud non dicamus competere magistratui muncipali per regu. l. 2. sup. eod. Atqui diuersum à iure deciditur in d. l. ea quæ in princip. Ad hoc obiectum respondebo postea, qua de quarto mixti imperij articulo agemus. 21

Tertio † causantur tutoris dationē nulli coercitioni esse obnoxiam, esse tamen mixti imperij, quod probari existimant à l. muto. §. tutoris datio. 22

tio.ff.de tute. Dicant Doctores quicquid voluerint in illum locum. Effutiat multa Riminald.in l.1.in princ.sup. tit.2. & quatuor pagellas columnasue impleat.Non immoror in eorum disceptationibus,sed cum ipsa lege sentiendum arbitror, tutoris dationē neq; meri neq; mixti imperij esse, neq; iurisdictionis. Nam cùm negatiuè dicat lex & generaliter non esse imperij, intelligendū est, neque meri neque mixti, quia si mixti esset, vtique esset imperij. Nec eam expositionem ea causa tantum tueor,quòd datio tutoris competit priuato in testamento,toto titul.de testament.tutel. Sed ab ipsa lege fundamentum assumo, quia videlicet ei competit,cui à lege, Senatusconsulto vel principum constitutione concessum est. Adde etiam non habenti iurisdictionem,siquidem à lege tutoris datio nominatim datur decurionibus.l. vbi absunt.ff.de tuto.& cura.dat.ab ijs.l.decreto.
13 ff.qui pe.tuto.†Decuriones autem imperium aut iurisdictionem habere nusquam relatum est, solum suffragia dare,decreta facere, & consilio ciuitatis eos adesse legimus: toto titu. ff. de Decuri.l.pupillus.§.decuriones. Digest.de verbor.signific. Hoc autem consilium nullam denotat iurisdictionem,iuxt.gloss.in c.si pro debilitate vbi Abb.notat extr.de offic.delega. Eo spectat quod defensores ciuitatum plebem & decuriones ab insolentia improborum tuentur:leg.defensores. 2.C.de defenso. ciuita. Quòd si decuriones iurisdictionem haberent, seipsos tuerentur & defenderent.

Quòd si contendas decurionibus competere iurisdictionem, atq; ita probari ex notatis apud Bar.in l.ambitiosa.ff.de decre.ab ord.faci.Et maximè ex eo quod ab eorum decretis & nominationi-

tionibus appellatur præses prouinciæ.l.1.§.solét Digest. quando appellan. sit. leg.si ad scribatum, & leg.Hi,qui ad ciuilia.C.de appellan. Respondeo ex supradictis non aptè concludi aut conijci eos habere iurisdictionem, nec vlla lege probatum est, eam illis competere, nam dum suffragia dant, dum alicui honorem aut munus publicum decernunt,in hoc non exercent iurisdi.sed consilium dũtaxat ciuitati impartiuntur.† Publica autem eorum decreta si iniusta sint, cur iudicem nõ 24
appellas? cùm à statuto per corpus aliquot sodalitiumue quod nullam iurisd.habet promulgari, possit superior appellari. Bart.in l.omnes populi. in 5. quæstio. 5. quæstio.ff. de iusti.& iur. quem sequuntur passim omnes; & maximè Felyn. in c. cum omnes.extr.de constitu.Item licet ab ijs,quę per priuatos agantur, non sit necesse, nec possit quispiam prouocare.l.scire oportet.in princi. ff. de excusa.tuto.tamen à gestis per publicas personas appellandus est iudex, etiam si nulla iurisdictionis solemnia interuenerint,cùm aliter per eiusmodi personas gesta retractari non possint,faciunt scripta per Barto.in l.fin,ff.de appella.recipi.Adde quod ab executore sententiæ & viatore, qui nullam prorsus habet iurisdictionem. l.executorem.C.de execut.rei iudi.Nonnunquam appellatur iudex.leg.ab executione.C.Quorum appella.non recipiuntur.

Non †negauerim tamen ex decurionibus duos eligi in vsu fuisse,qui duũuiri & magistratus municipales dicebantur d.l.vbi.adsunt.§.fi,l.honores.§.1.ff.de dec.l.imperator.ad fin.& l.magistratus. ff. ad municipa. Atque hi iurisdictionem in municipijs exercebant, in qua opinione est Alciat.in dispunctióibus,& in annotationib.in tres 25

libros.C.in l.de cubiculis.de priuileg. eod.qui in sac.pala.mili.

26 Forsitan † obijcies tutoris dationem esse imperij aut iurisdictionis. arg. l. 1.sup.eod. At dico ex ea lege hoc minimè colligi posse, verùm aliud lõgè diuersum, scilicet tutoris dationem, si à iudice petatur, officio eius mero, non autem virtute actionis expediri. Itaque reor esse dicendum, tutoris dationem non esse imperij aut iurisdict. hoc est, non exerceri eo nomine, quod quis habeat imperium aut iurisdictionem, sed ea causa tantum, quòd hæc potestas à lege, senatuscon. vel principum constitutione nominatim conceditur, vel non habentibus imperium aut iurisdictionem.

27 Ex † qua declaratione emergit aliud, quod meo iudicio nõ abest à veritate, nimirum potestatem legis statutaque condendi, legitimandi, tabelliones, notariosq; creandi, & multa alia exercendi, quæ ad iurisdictionem non spectant, & in quibus nec auditis hinc atque illinc partibus, nec legitimo iustoque contradictore aliquo proceditur, non esse imperij aut iurisdi. quia à nõ habentibus imperium aut iurisd. possunt exerceri. De statutis hoc tenet gl. in c. 2. de verb. signi. libr. 6. approbat Ias. in l. omnes populi. 7. colu. ff. de iust. & iur. Item quando princeps legem generalem vel collegium statuta particularia promulgat, quando rex dux, vel comes, tabelliones instituũt, vel spurios legitimant, eo non exercent tanquã iudices, sed eo nomine quod à iure aut alias supradictorũ habent potestatem d. §. tutoris datio. Multa & infinita alia contra hanc mixti imperij definitionẽ obijci possent, quæ facilè (vt reor) & nullo negotio refellentur, ac per hanc nouam intelligentiã penitus euanuerunt.

SVM-

SVMMARIA.

*1 Mixtum imperium quibus competat.*
*2 Iudici merum imperium habenti quatenus licet iurisdictionem suam pœnali iudicio defendere, & quatenus liceat ei qui solam iurisdictionem habet, nume seq.*
*4 Clericus delinquens coram magistratu seculari, dum apud eum litigat, a quo sit coërcendus.*

EX hac definitione mixti imperij, quam pluribus exemplis † cõfirmauimus, † oritur dis- 1
cussio secundi articuli, quo queritur, cui cõpetat mixtum imperium. Nam si eo tum denique nomine est inuentum, vt adiuuet iurisdict. sequitur illud competere omnibus qui iurisdictionem habent, vel qui in ciuilibus causis ius dicere possunt, omnibus enim magistratibus permissum est iurisdictionem suam pœnali iudicio, id est modica coercitione, siue mixto imperio defendere. l. vnic. in prin. si quis ius dicen. non obtem. Istud est quod vulgò dicimus, & communiter receptũ est, iudicem qui de causa ciuili cognoscit, posse incidenter, & de crimine cognoscit, liberum est incidenter & super rei restitutione pronunciare. Bar. cùm in varijs locis, tum maximè in l. interdũ fur. §. qui fin. ff. de fur. in l. penul. ff. de calumnia. & est argum. l. quoties. C. de iud.

Excipe ab hac regula duumuiros siue magistratus municipales, vt latiùs explicabimus in quarto huiusce mixti imperij articulo. Planè ad vnum diligenter aduertendum est: † Si enim iu- 2
dex, qui in causa ciuili ius dicit, merum alioqui habet imperium, non solùm iurisdictionem il-

Iam modica coercitione tuebitur, sed cùm graui. orem offensam partis, testis, aut alterius aduocati, putà procuratoris, vel solicitatoris incidenter depræhenderit, poterit in eos seuiorem proferre sententiam, & pœna ordinaria, cessante quacunque vel fori præscriptione, reum, modò clericus non sit, plectere. l. nullum. C. de testib. At
8 † verò, si solam iurisdictionem habeat, & mero non potiatur imperio, vel sit delegatus ab ordinario in causa ciuili, non poterit in eos, qui iurisdictionem suam offenderint, nisi mixto imperio vti & modica castigatioue, quòd si res maiorem pœnam exigat, quàm iurisdictionis forma patitur, solùm poterit in vincula conijcere, offendentemque interrogare: super seueriore verò pœna ad Principem aut alium superiorem rescribere debet, æstimaturum quatenus delinquens coerceri debeat. l. Diuus Pius. ff. de fal. vbi Bart. l. 2. vbi Bal. C. de sportu. Ita facilè conciliantur ad l. nullum. & l Diuus Pius. cum nonnullis decisionibus, super quibus aliquantulum se torquet Ias. in l. 1. §. qui mandatum, supr. tit. 2. Sic prætor, qui in vrbe Rom. suspecti tutoris notionem (quæ ciuilis est) specialiter sibi vendicabat, si quando atrociora tutoris delicta, inter cognoscendum de suspecto, animaduertit reũ in publicis vinculis cõtinere, grauiter autem puniendum ad præfectum vrbis remittere solebat. l. 1. §. item solent. ff. de offi. præfect. vrb. l. 1, §. fin. cum l. sequen. l. 3. § tutor. & §. tutores. ff. de suspect. tutor. l. nisi. C. de administrat. tutor.

Secundùm hæc puto nos eo iure vti in Gallia, vt iudices magistri requestrarũ regij palatij vulgò appellati, quorum iudicia ad solas in personã actiones, possessoriaq; interdicta protenduntur.

Item

Item priuilegiorum academijs per leges imperitorum conseruatores, quibus per constitutiones regias interdicta est criminalium causarum exercitatio, denique omnes iurisdict. tātummodò habentes, non possint in falsarios, tergiuersatores, calumniosos præuaricatores, aut alios eorum iurisdictionem offendentes, nisi pœna pecuniaria, aut alia castigatione, quæ nouissimum suppliciū vel membri priuationem nō infligat, animaduertere. Quod si crimen graue est, & quòd maiori animaduersione, quàm vt iurisdictio eorum sufficiat, indiget, illi ad Senatum, hi verò ad latrunculatores, aut prouinciarum præsides referre solent.

Adde, † quòd eadem ratione seculares magistratus in clericos, corā eis incidenter delinquentes, auctoritatemque eorum, dum apud eos disceptatur, interturbantes, solent mulctæ dictione, aut alia modica coercitione, mixtóve imperio animaduertere. Pœna verò ordinaria vel canonica puniendos ad iudicem ecclesiasticum cum elogio mittere, modò eis de delicto cōstiterit. Quòd si delicto planè non appareat, vsus & praxis quotidiana hoc obseruat, vt clerici priuilegiario (quod vocant) crimine onerati, ad iudicem ecclesiasticum deducantur, ea lege, ne ad liberationem, condemnationémve procedat, insciente & non vocato iudice seculari, qui extra ordinem, si reus conuincatur, puniet. Ecclesiasticus verò pœnam ordinariam irrogabit, suoque mucrone eum feriet. In qua opinione fuerunt Federic. Senensis, & Archidiac. vt clarè recitat Abb. in c. verum, extr. de for. compe. tametsi aliter sentit receptior in ea disputatione scriptorum sententia. 4

SVM-

SVMMARIA.

1 *Mixtum imperium quatenus se extendat.*

1 QVATENVS autem † se extendat mixtum imperium, seu modica coercitio, quæ competit solam habentibus iurisdictionem. Et num in personam coercitionem castigationémve contineat, obiter disputat Alexand. hîc. & in l. 2. supr. eod. Verùm omissis multis, quæ a Docto. in eam rem promuntur, putarem id moderandum pro forma iurisdictionis auctoritateque iudicantis, argumen. d. l. vnic. in verb. secundùm ius potestatis. Non enim qui modicæ causæ & ciuilis habet cognitionem, fustigabit, ad tempus relegabit, aut vltrà causæ modum mulctabit: sed fœdius coram se admissum ad superioré seueriùs corrigendum remittet, iuxta d. l. Diuus Pius. Verùm cùm iurisdictio ampla suppetit, putauerim meo iudicio à modica hac castigatione excludi nouissimum suppliciũ vel membri mutilationem. §. ad hoc prohibemus, in Authent. de collatio. Item capitalium pœnarum inflictionem, de quibus l. 2. ff. de public. iudic. & l. capitalium, in princip. ff. de pœn. Itaque iudex huiusmodi torquebit testis (quod ad vnam causam delegato ius permittit, vt infrà dicemus in quarto articulo) fustigabit auctoritatem suam offendentes, officio, professione, aduocationibus, foro, curiave, aut exercitio submouebit, mulctabit, ad tempus relegabit, aliasq; pœnas infliget, quæ ad æstimationem, non autem ad capitis periculum pertinent.

SVMMARIA.

1 Mixtum

1 Mixtum imperium posse delegari, contra quam opinati sunt hactenus interpretes iuris.

2 Intellectus communis ad l. 1. ff. de offic. eius cui mandata est iurisdict.

3 Delegare posse multas causas, quæ maioribus magistratibus non competunt.

4 Delegari non posse quæcunque magistratibus municipalibus competunt.

5 Intellectus communis ad l. 1 ff. de offic. eius cui mandata est iurisdictio, nu. 10. 12. & 14.

6 Transactionis super alimentiis interponendæ causam pretori specialiter constitutione Principis concessam, non posse per ipsum pretorem alteri delegari.

7 Auctoritatem, quæ ex constitutione Principis interponi debet à pretore, in alienatione bonorum minoris, non posse per pretorem alteri delegari.

8 Rector prouinciæ datus iudex specialiter constitutione Principis ijs, qui à potentioribus opprimuntur, non posse eas causas alteri delegare.

9 Mandari non posse eam cognitionem, quam lex specialiter voluit ad iudicem aliquem spectare.

11 Delegatum rescripto Principis posse subdelegare, nō etiam eum cui per constitutionem Principis cognitio aliqua est concessa, & cur tam variè.

13 Intellectus ad l. nec quicquam §. vbi decretum. ff. offic. proconsf. & lega. & ad l. omnia quæcunque. ff. de reg. iur.

15 Intellectus §. qui mandatam. ex l. 1. ff. de offic. eius cui manda. est iurisdict.

1 VENIO ad tertium articulum,† in quo præter omnium sententiam contendo,& veriorem ipsa veritate,hanc cóclusionem propono, mixtum imperium posse delegari, idque probari à l.cognitio.§.vt bonorum.sup.tit.2.Porrò non opus est, vt nos incassum torqueamus expositionibus,quas in illam legem solent Doctores comminisci, dum interpretantur, & volunt cognitionem causæ, propter quam mitti aliquis possit in possessionem posse delegari, ipsam verò missionem,quæ in facto consistit, & mixti est imperij, non posse committi. Nam certè nihil salis aut succi habent eiusmodi interpretamenta, planeque in his magis hariolari cēsentur scriptores, quàm vera promere. Quinetiam Paul.Castren. & multi alij in d.§.vt bonorum. à salebra illa se explicare non potuerunt,qua communis & receptior Doct.sententia sentit,facilius cognitionē delegari,quàm meram executionem, quod meo iudicio in animum quantumlibet ignari,nó facilè incidat.Quandoquidem cognitio ipsa multò excellentior sit, quàm executio, quæ simplici viatori plerunq; non delegatur modò, verùm etiam iniūgitur. Teneamus ergò miss. in possess.ex causis in d.§.vt bonorū.relatis,quæ est mixti imperij, posse delegari: quia iudicibus specialiter data non est, sed iure magistratus competit.l.1.in princip. supr.tit.2.

Verùm vt communia obiter excutiamus,aduersum hanc conclusionem obijcietur vnum commune,& ab omnibus Iurisprudentibus vsurpatū argumentum, nempe iure testatum est (vt ipsi asserūt) omnia quæ magistratibus municipalibus minimè competunt,nó posse delegari.d.l.1. in prin. supr.tit.2. Mixtum autem imperium esse eiusmodi d.

di d.l.ea quæ. Ergo mixtum imperium nō posse delegari magis concludendum est. Miror tot seculis intelligentiam hanc in illam legem inualuisse, & ad Rapha. Fulgos. tempora durasse, sed vt clarior procedat, eam breuibus explicabo.

Dicebant † antiqui, d.l.1. hoc velle, omnes causas, quæ maioribus magistratibus ita competunt, vt minoribus denegentur, nō posse demandari, vt sunt causæ meri & mixti imperij. Causas verò, quæ minimis magistratibus, cuiusmodi sunt municipales competunt posse delegari: At certè hic intellectus facilè subuertitur ex multis. 2

Primum, quia † multæ sunt causæ, quæ nō competunt minoribus magistratibus, & tamē delegantur. Pone exemplū in causa restitutionis in integ. & missionis in poss. si legatorum nomine non caueatur, quæ ad magistratus municipales non pertinent, ad l.ea quę. atqui à iudicibus delegant. l.fi. C. vbi & apud quos. & d.l. cognitio. §. vt bonorum. 3

Deinde quædam † competere magistratib. municipalibus compertum est, quæ tamen non delegantur: Exemplo est ius dandi tutores, quod & ad magistratus municipales spectat, tot. tit. ff. de magistrat. conue. l. ius dandi. ff. de tutor. & curat. dat. ab ijs. l. decreto. ff. de pe. tutor. (quæ leges planæ sunt, & diuinationibus quas in earum expositione somniant & effingunt Doctores minimè indigent.) Cęterùm ius illud mandari aut delegari nō posse, expressum est in l. nec mandante. ff. de tuto. & curat. dat. ab ijs. 4

Declarationem † ergò Rapha. Fulgo. quam amplectitur Alciatus in Paradoxis, teneo & sequor, atque verissimam esse contendo: nempe d.l.1. in princip. hoc sentire, causas quæ à lege, Senatuscon. vel Principum constitutione alicui specialiter, 5

ter, hoc est, expressè & nominatim tribuuntur, non posse mandari, nec mandata iurisdictione transferri.

Pone exemplum in causis meri imperij, quæ nõ delegantur, quia illis solùm datur earum exercitatio, quibus à lege Senatusconf. vel Principum constitutione nominatim est concessum, vti supr. docuimus.

6 Pone † etiam exemplum, Diuus Marcus oratione sua Senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum ex testamento relictorum transactio rata esset, quàm si auctore prætore facta sit, & apud eum de causa quæri voluit. l. cùm ij, in princ. & §. vult igitur. ff. de transact. Vnde factum est, vt prętor ex hac causa iurisdictionem mandare non possit, per regulam huius legis, & est expressum in l. cùm ij. ff. de transact. §. sed nec mandare.

7 Item pone † exemplum, constitutio Seueri Imperatoris iubet prætorem super alienatione bonorum minoris auctoritatem interponere. l. 1. §. 1. & l. magis puto. §. non passim. ff. de reb. eor. Atque ideò non posse prætorem alteri eam mandare, est alicui decisum in l. 2. sup. tit. 2.

Adde quod diximus de tutoris datione, quę nõ delegatur, nec mandata iurisdictione transit d. l. nec mandãte. quia illi competit, cui lex, Senatusconsul. vel Principis constitutio nominatim concessit d. l. mutuo. §. tutoris datio.

8 Huc pertinet, † rectorem prouinciæ constitutione Diui Claudij ditum iudicem specialiter ijs, qui potentiorum nomine opprimuntur, nõ posse eiusmodi causas delegare: quod & tenuit gl. in l. 1. in verb. specialiter. C. ne lice. poten. quæ apertè & rectè hanc l. 1. eo, quo nunc diximus, modo intellexit.

Ad

Ad hæc an separatio dāda sit creditoribus, prætoris vel præsidis notio est, & non alterius. l. 1. §. de his. ff. de separat. qud idcircò delegari non potest, gloss. ibi, in verb. alterius.

Sunt præterea infinita alia exempla, † nam quandocunque lex specialiter ad præsidem, aut ad alium iudicem aliquam cognitionem spectare constituit, aut an abolitio priuatim à præside danda sit, an quis inciderit in Turpilianum. l. 1. §. abolitio. & §. item si dicatur. ff. ad Turpilianum. Item an quis seruus sit vel liber. l. non distinguemus. §. de liberali. ff. de arbit. Eo casu præses aut alius iudex eam notionem mandare non potest: sed ei necessitas suscipiendæ per se cognitionis censetur imposita. Hoc clarè exprimit princip. huius l. & l. placet, versicul. quod non ita. C. de pedan. iudic. quam nos suprà in prima parte exposuimus. 9

Hoc † autem principium limita fauore pupillorum. l. cognitio, in princ. supr. tit. 2. quam & nos in 2. parte tractatus nostri explicuimus. Item l. 1. ff. de tuto. & curat. dan. ab ijs. probat tutoris dationem legato proconsulis ex oratione Diui Marci specialiter competere, quod & testatur l. penult. ff de offic. proconf. & lega. 10

Porrò, si ex aduersò † moueas argumentum, causas, quas delegat Princeps, posse subdelegari. l. à iudice. C. de iudic. Respond. hoc principium legis non habere locum in iudicis datione per rescriptionem Principis, sed in mandata iurisdictione per ipsius constitutionem. Ex quo enim Princeps constitutione sua, arbitrio maturo, ac diligenti deliberatione examinata, nōaūt ad alicuius suggestum preces vel postulationem prætori aut præsidi cognitionem certarum causarum deman- 11

O dat,

dat, eam censet grauem, & aliorum cognitioni non permittendam. Cùm verò per rescriptum & ad partis postulationem rogationémve vel motu proprio dat iudicem, nullam sanè in eo industriã elegisse existimandus est: quo fit, vt iudex eo modo datus subdelegare possit: hoc sentit gloss. in d. l. 1. in verb. specialiter. C. ne lice. poten. pro cuius assertione facit l. sæpè. cum l. sequent. ff. de offic. præsidis.

12 Sequitur † in d. l. 1. versic. quæ verò. quem expone hoc modo: Causas quæ specialiter non sunt commissæ, sed iure magistratus competunt, hoc est, iure officij ordinario posse delegari. Nam eo ipso quòd rectores, vel iudex in aliqua ciuitate vel municipio, iurisdictionem ciuiliumque causarum cognitionem nancisceris. Idcircò eos poteris temerè delegare, nisi ex ijs aliquæ tibi specialiter & expressè per legem fuerint concessæ, & propter earum pondus iniunctæ. Atque ita intellige principium legis. Quæcunque causæ specialiter tribuuntur, siue imperij sint, siue iurisdictionis, non posse delegari. Item generaliter & epilogi loco dicemus, meri imperij causas mandare non posse. Iurisdictionis autem sic, nisi specialiter mandatæ sint.

13 Quòd si obiter † obijcias contra hanc expositionem l. omnia quæcunque. ff. de regul. iur. & l. nec quicquam. §. vbi decretum. ff. de offic. Procõsul. & legat. Ex quibus legibus Bartol. & cæteri Doctores eliciunt regulam generalem: Omnia quæ plenam causę cognitionẽ desiderant, minimè delegari. Respon. leges illas, de delegatione nullam mentionem facere, sed hoc tantùm velle, iudicem in ijs, quæ causæ cognitionem requirunt, iustum contradictorem admittere debere,

non

non autem super libello alterius supplicatorio, & indicta causa aliquid decernere. Ita Budæus, Alciatus, & nouissimè Petrus Stella Præceptor meus Aurelianensis, qui §. vbi decretum. eo quem dicimus modo intellexit, & eleganti commentario locupletauit.

Redeo †ad reliqua illius legis primæ, sup. tit. 2. quam (quia in materia delegationis primas obtinet) verbatim mihi exponendum meritò suscepimus. 14

Sequitur in ea, Et ideò videntur errare magistratus, qui cùm publici iudicij habeant exercitationem, hoc est, cognitionem lege, vel Senatuscō. delegatam (quod est ordinariam: Non enim merū imperium alicui competit, nisi cui à lege, Senatuscons. vel Principum constitutione specialiter est concessum) veluti lege Iulia, de adulterijs, & si quæ sunt aliæ similes leges iurisdictionem suā, hoc est, illam publici iudicij exercitationem, quā solam habent, mandant. Si enim aliam iurisdictionem, ciuilem putà, haberent, mandata iurisdictione non veniret imperium, vel illa publici iudicij exercitatio, atque hoc casu non errarent, vers. verius, infr. ead l. & ita exponit gl. in Auth. de defen. ciuita. §. nulla, in verb. iurisdictione.

Sequitur, huius rei fortissimum argumentum est, quòd lege Iulia de vi. nominatim cauetur, vt is cui contigerit exercitatio, quæ est & meri imperij, possit eam, si proficiscatur, mandare, non aliter itaq; mandare poterit, quàm si abesse cœperit. Non potest igitur merum imperium demandari, nisi legitimæ absentiæ causæ, cū aliàs iurisdictio, id est, ciuilium causarum cognitio etiam à præsente mādetur. l. more. l. solēt. & l. prætor, inf. eod. Et si à familia dominus occisus esse dicitur,

gnitionem illam, quæ est meri imperij, & quam prætor ex Senatusconsul. habet, mandare non poterit. Hic aduerte, Papinianum hoc videri sentire, causas meri imperij non mandari, mòdò à lege, Senatuscons. vel Principum constitutione nominatim cnncedantur. quandoquidem in illatione, quæ incipit à versic. Et ideò nominatim de crimine adulterij, de vi & de domino à familia occiso, quæ lege Iulia & Senatusconsul. Syllaniano nominatim tribuuntur, facit mentionem. Tu autem dicas Papin. exempla hæc nobis proposuisse nominatim, vt ostenderet illas causas meri imperij nominatim concedi. Generaliter autem alias meri imperij causas non competere iure magistratus, sed à lege specialiter dari, postea idem ipse affirmat in versic. verius. eadem l. atque eo nomine generaliter non posse demandari est proditum in l. nemo potest. ff. de regul. iur. & in l. solent, in princip. supr. de offic. proconsul. Diximus suprà nonnihil, vbi de meri imperij delegatione disputatio agitata est.

15 Sequitur † §. qui mandatam iurisdictionem, hoc est, causarum ciuilium cognitionem (merum enim imperium mandari non potest) susceperit, nihil proprium habet, sed eius, qui mandauit iurisdictione vtitur, adde l. more. & l. solent, infr. eod. Sequitur, verius est enim, maiorum more iurisdictionem quidem, hoc est, causarum ciuilium cognitionem, mandata iurisdictione transferri: sed merum imperium quod lege datũ (intellige specialiter, iure enim magistratus non competit) nõ posse transire. Quare nemo, dicit, animaduersionem, hoc est, merum imperium legatum Proconsulis habere mandata iurisdictione. Faciebat in hoc versic. dubium, quòd (iurisdictio) verbum, generale

rale eſt, quod merum imperium complectitur,vt ſupr.hac l.verſic.& ideò. Verùm Papinia.hoc verbum ait contrahi ad ſpecialem ſignificationem. Et reſpondet mandata iuriſdictione à Proconſule,qui merum habet imperium & iuriſdictionem non tranſire merum imperium, ſed ſolam iuriſdictionem, hoc eſt, cauſarum ciuilium cognitionem,quod probat apertiùs l.obſeruare.§.fin. & l. ſolent,ſupr.de offic.proconſ.

Sequitur,Paulus notat,hoc eſt,approbat,& imperium,quod iuriſdictioni cohæret,hoc eſt,mixtum imperium mandata iuriſdictione tranſire: Quod verius eſt iuxta l.fina.eodem tit.& ſupr.docuimus. Hæc,meo iudicio, vera eſt & facilis illius legis explicatio.

*SVMMARIA.*

1 *Mixtum imperium mandata alicuius iuriſdictione transferre & accedere.*

2 *Delegatum iudicem poſſe mulctare, & inobedientem pœnali iudicio coercere. & num. 7.*

3 *Intellectus ad l. 2. §. fina. ff. de iudic. & ad l. aliud eſt fraus. §. is mulctam. ff. de verborum ſignificat.*

4 *Mulcta duplex.*

5 *Iudicem delegatum poſſe quaſtionem habere de teſtibus,qui non ſatis ſibi conſtat.*

7 *Iudex datus poteſt in pœnam contumaciæ, lite non conteſtata,mittere aduerſarium in poſſeſſionem bonorum.*

8 *Excommunicatio quando ſit meri aut mixti imperij.*

9 *Mulctæ dictio,incarceratio, ac reliquæ huius gene-*

 ris

*ris pœna, an & quando meri aut mixti imperij sint.*

10 *Iudicem delegatum posse exequi sententiam suā virtute mixti imperij, quod mandata iurisdictione in eum translatum est.*

11 *Intellectus ad l.properandum. § sin autem reus. C. de iudic.*

12 *Intellectus ad l.à Diuo Pio. circa princip.ff.de re iudic.*

13 *Iudicum seu arbitrorum datorum ad articulum aliquem causæ expediendum, frequentem esse in iudicijs vsum.*

SVperest quartus mixti imperij articulus, in
1 quo q sentimus† audēter hoc asseueram⁹.Mixtum imperium nō solùm esse delegabile, imò etiam mandata alicui iurisdictione transferri & accedere.l.1.§.fin.& l.fin.sup.tit.2.facit regula l.2. supr.eod. In eum, cui iurisdictio data est transire omnia, sine quibus explicari non potest Exempli causa hic subijcimus, pleraque quæ mixti sunt imperij, & quæ in iudicem delegatum transire manifestò comprobabimus.

2 Primum omnium potestas†mulctandi & inobedientem pœnali iudicio coercendi, transit in iudicem delegatum.l.2.C.de sportul.Quam sententiam puto veram, contra Bart.& communem in l. 1.in princ.ff.si quis ius dicen.non obtemp. Et eam. approbant Ant.Butr.in c.de causis, ext.de offi.deleg.Inno.& Hosti.in c.1.eod.tit. Idem sentire mihi videtur Alexand.in d.l.vnic.in 5.limita. & Angel. antè eum, dum affirmant, in iudicem delegatum transire mulctandi potestatem, quando aliter iurisdictionem suàm non potest defendere. Ita etiam tenuit Bartolus, sibi ipsi diffidens, & malè

malè aduersatus in l.à Diuo Pio, in princip. ff. de re iudic. dum sentit, iudicem delegatum exequi posse sententiam suam interlocutoriam præcipiendo, excommunicando & mulctando. Nec communem † & Barto. opinionem adiuuat l.2.§.final. 3
ff. de iudic. quia in illa lege de iudice delegato verbum nullum. Hoc enim solùm decidit, eos posse mulctam irrogare, quibus publicè iudicium est, hoc est, qui ius dicunt, & iurisdictionem exercent, etiam si delegati sint. Nam & ipsi mandatam vel datam iurisdictionē habere dicuntur. Et ita intelligendum hunc locum sentit l. aliud est fraus. §.item mulctam. ff. de verb. significa. mulctam eos dicere, quibus adiudicatio data est. Porrò per illas leges excludi arbitror à iure infligendæ mulctæ, eos, qui nullam habent iurisdictionem, decuriones putà, thesaurarios, quæstores, & plerosque alios administrationem publicam, non autem iurisdictionem habentes: de quibus Iureconsultum sensisse falsò putauit Bartol. in d. l. vnic. in verbo, duumuiris. Clausula autem in d. §.is mulctam. quæ solis magistratibus mulctæ dictionem tribuit, non excludit eos, qui ex delegatione causas audiunt, quia quæ iure magistratus competunt, ad delegatos migrant. l.1. in princi. ff. de offic. eius.

Adde † præterea, quòd suprà allegatæ leges de 4
mulcta loquuntur, quæ in pœnam specialis & innominati delicti iudiciaria sententia irrogatur, & quæ merum imperium habentibus competit. Non autem mentionem faciunt de ea, quæ obiter ad facilius aut commodius exercendam iurisdictionem infligitur. Vnde Procurator Cæsaris, qui iurisdictionem solam obtinet, vt sup. relatum est. Item curator Reipubl. ius dicendæ mulctæ non

habent.l.2.& 3.C.de mo.mulct.Quod planè intelligendum est de mulcta quæ specialis delicti est coercitio, & quæ ratione maleficij principaliter imponitur: non de ea qua iudicem offendentes leuiter castigantur. Ea enim procuratori Cæsaris, & cuius iurisdictionem habente non denegatur, per reg.d.l.vnic. & per ea, quæ in primo huius imperij articulo tradidimus, & probat l.vlt. ff. de offic.proconsul.Cæs. quam nos suprà exposuimus.

5 Subdo † aliud & secundum, in delegatum iudicem transire torturam testium in fide vacillantium. Scriptum est enim in Authen.de testib.§.si verò ignoti iudices delegatos testibus inferre verborum experimentum per apparitores iudicum, quatenus nihil celent veritatis. Apparitores autem, necessum est, ab ordinarijs, vt mutuent delegati, cùm ipsi aliquos non habent.

6 Tertium adiunge, † iudici dato licere in pœnam contumaciæ, lite non contestata, vt mittat aduersarium in possess.bonorum. Id probatur in Authent.de exhib.reis.§.si verò etiam quidam iurent. & §.igitur. qui tam de iudice ordinario, quàm delegato loquitur, nec aliter sentit Accurs. Illic in verb.iudex. Istam opinionem contra Bartol.& communem in l.2.supr.cod.arbitror esse tenendum, quam & tenuisse mihi videtur Innocen. in c.dilecto, extr.de verb.signif.nec meo iudicio, vlla est lex, quæ eam vel euertat, vel minimum impugnet.

7 Adhuc † faciunt pro confirmatione huius regulæ c.1. c.pastoralis, in princip. c.de causis.§. fina. c.præterea. c.significat. c.sanè. c.ex literis. cum alijs multis, extr.de offic.delega.quibus Roma. Pontific.faciunt potestatem mulctandi, excom-

communicandi, interdicendi, aut aliter coercendi, quo facilius exerceatur, iurisdictio transire vel ad minimum in iudicem delegatū. Quamuis autem prædicti canones id decernant in delegatis à principe & Roma. Pontific. Idem tamen credo censendum in delegatis à quocunque iudice: Rationes enim eorum & præsertim c. præterea, atque c. pastoralis, generales sunt, & ad omnes delegatos applicari possunt: adhærentque rationi. l. 2. sup. cod. Quandocunque verò legis vel canonis ratio generalis est, ea ad omnes casus serpit & extenditur: vulga. l. illud. ff. ad l. Aquil. nec tum propriè extendi sed suis limitibus stare lex intelligitur: ita vulg. gloss. in c. 1. de tempor. ord. lib. 6. Qui etiam supradictos canones habere locum in quocunque delegato testatur Innocen. in c. cùm ab Ecclesiarum ex. de offi. ord. Obiter † autem si contendas, & nitaris constanter asseuerare, potestatem excommunicandi non esse mixti imperij, quod existimauit Innocē. in c. transmissam. extr. de elect. Respondeo excommunicationem aliquando esse meri, aliquando mixti imperij, quod & ipsum fatetur Abb. in c. cùm contingat in 4. colum. ex. de foro competen. sed hoc ipse elucidare non potuit. Tu autem explica hoc modo; Nempe excommunicationem si principaliter enuntietur per iudicem, & in pœnam delicti cuius nomine aliquis accusatur, esse meri imperij, cùm loco gladij sit, quo iure ciuili animaduertitur in facinorosos. c. solicitudinem. extr. de appella. Si verò iudex ecclesiasticus ad facilius exercendam & commodius expediendam iurisdictionem aliquem coercet, & sententia sua excommunicat; hæc excommunicatio non meri quidē, sed mixti erit imperij, cū sit coercitio iurisdi. cohærens, 8

hęrens,& per quam facilius ipsa exercetur. Idem
9 † & de mulcta incarceratione que ac similibus pœnis, quæ grauem animaduersionem non continent, sed modicam, dicendum existimo. Nam si in aliquem principaliter & ob delictum animaduertatur pœna pecuniaria iux.d.l.aliud.§.is mulctam.& tot.tit.C.de mo.mulcta. aut incarcerationis.iux.c.quamuis.de pœ.lib.6.erunt merij imperij. Si verò aliquis mulctetur, aut carceri mancipetur, quo facilius iudex in causa ciuili litigantibus ius dicat, erunt mixti imperij, vt supra ostẽdimus.licet Albe.Bald.Salyc.& Alex.hic, alijq́ue recentiores in iurisdictionem ea satis inconsideratè reijciant.

10 Quintò † argumento mixtum imperium in iudicem delegatum transire probatur, quod iudici delegato competit, vt rem à se iudicatam exequatur, & iubeat faciatue rem restitui aut debitum solui mixto imperio & competenti coercitione, vtpote pignoris captione & distractione, in bonorum possessionem missione, personæ coercitione, atq; adeò alijs iuris executionibus & nonnunquam manu militari, iux.l.debitorib.ff.de re iud. tot.tit.C.de exec.rei iud.l.qui restituere.ff.de rei vendic. & l.properandum.§.sin autem reus.C.de iud. istam opinionem puto esse sanctiorem quàm Bart.& communem aliorum consensum.in l.à diuo Pio.in prin.ff.de re iud.(qui generaliter opinati sunt, rei iudicatæ executionem delegato minimè competere.) Et eam tenet Innoc.in c.cum ab Ecclesiarum.ext.de offi.ord. Ac Marianus Socy.in c.si quis contra clericum. ext. de foro competen. munitus septem rationibus, quas ibid.recitat Fely. Miror autem me hercule, tot Docto. hactenus in hac quæstione inter se tot annos concertasse,

cùm

cùm certum sit inutilem frustraque secundùm aliquem datum iri sententiam, quæ pronuntiato tantummodo constet, & cuius executio negligatur; argumen.l.2.§. post originem.ff.de origi.iur. Præterea cur ea executio iudici dato denegetur, quæ atque simplici viatori, & nudo meroque executori liberè possit demandari. iuxt. leg.executorem. C.de execu. rei iudi. Hæc certè nunquam mihi visum fuit iuri consonum, nec vlla ratione vnquam adduci potui, vt crederem eum, cui causæ definitionem committas, non simul & iudicati executionem, in qua merum factum vt maximè versatur, delegare. Reliquum est solummodo, vt argumentis & suasiunculis quibusdam, quas Doctores & glossæ in hoc articulo confingunt, occuramus, & respondeamus. Iudicem enim delegatum non posse iudicatum exequi, † probari a 11
iunt ex l. properandum §. sin autem reus.in verbis, aut per relationem ad maiorem, & c.C.de iudi.quasi verba illa de delegatis intelligantur, & non potius de ordinarijs, qui possunt in ferendis sententijs & earum executionibus maiores de iure consulere.l.eum quem temerè.§.fin.ff.de iudi. & tot.titu. C. de relatio. vel intellige secundùm gloss.maiorem iudicem, in cuius territorio facultates rei positæ existunt. Deinde † Doctores & gl. 12
passim allegant d.l.à diuo Pio.in prin. At ego cõmunem responsionem ad illam legem verissimã contendo, non denegari, videlicet à I.C. quin delegatus posit exequi sententiam suam, sicuti deleganti permittitur. Præterea dicere ausim, legẽ illam sibi vendicare locum in dato iudice ad cognoscẽdum tractandumq; de vno tantũ causæ articulo cuiusmodi sunt arbitri ad fideiussores probandos aut ad causas recusationis inuestigandas
dele-

delegati, de quibus l. illa loquitur. l. fin. ff. à qui
13 appel. non licet. & l. fin. C. de iudic. Horum † frequens est vsus apud nostros magistratus; qui quotiens impensarum, aut confinium, vel alia ex causa, in rem præsentem veniendum est, quoties ex matrice scriptura exemplum trahendum, testes in longinquis partibus audiendi, & multa his similia per alium expediunda veniũt, arbitros seu commissarios (vt vocant) delegant & nonnunquam arbitrorum vice (si res industriam vel indaginem maiorem non expostulet, viatorum opera vtuntur l. fin. ff. de iudici. Horum autem arbitrorum sententiæ, vel à iudicibus, qui eos dederint, in causa procedendo executioni demandantur, d. leg. à diuo Pio. vel si quid improbum, minusq; legitimum retulerint, aut decreuerint, per appellationem vel sine appellatione per formam querelæ corriguntur. d. leg. fin. ff. à quib. appella. non licet. l. arbitro. & l. fin. l. si ab arbitro. ff. qui satisdar. cog. Porrò pro prædicta communi opinione videas passim & in omnibus antiquorũ scholijs atque commentarijs citari d. l. iubere cauere. inf. eod. & l. ea quæ. ff. ad municipa. quod est præcipuum scriptorum argumentum. Considerabant enim executionem iudicati, eo quod plerunque coercitionem iussumque contineat, & eius vi mittatur victor in possessionem esse mixti imperij, atq; ea ratione duntaxat non posse delegari, nec mandata iurisd. transire, vbiq; asseuerabant. Sed quàm parum sit efficax hæc ratiocinatio glossarum, Doctorum, ac Innoc. in plerunque locis, planum fecimus ex supradictis, & facilè demonstrauimus. Præterea executionem sententiæ posse delegari probat l. cùm fideicommissum. ff. de confess.

SVM-

SVMMARIA.

1 *Magistratus municipales, non habere mixtum imperium & quæ sit huius ratio. & num. 3.*

2 *Duumuiri qui dicantur.*

4 *Magistratus municipales in cuiusmodi homines coercitionem haberent, & quod talis coercitio non esset mixti imperij.*

ADVERSVM hunc quartum articulum declaratioibus suis suprà locupletatum, itur præcipuè vno argumento; dico, in delegatum iudicem transire mixtum imperium: quia sine eo iurisdictio facilè exerceri non potest: Nónne † ea ratione & in magistratum municipalem, 1 qui legitimam habet iurisdictionem contendamus transire mixtum imperiũ per regul. l. 2. supr. eod. titu. Atqui aliter à iure decisum est in d. l. ea quæ. Ad hoc respondeo ius ciuile vsque adeò depressisse & pro abiectis (vt ita dicã) habuisse, magistratus municipales, vt mixtum imperium minimè cõcesserit. Vnde l. 2. sup. eod. patitur restrictionem & perdit officium, vt non habeat locum in duumuiris siue magistratibus municipalibus. Id autem pluribus manifestare est facillimum. Primum ex iure dicendę mulctæ, aut alterius modicæ coercitiõis ad iurisdictionem defendendã, quòd non competit magistratibus municipalib. l. vn. in princ. C. ff. si quis ius dicen. non obtem. Quæ lex indubiè tractat & loquitur de duũuiris, hoc est, magistratibus municipalibus, tametsi aliter interpretantur, & eam exponunt Bartol. & eius sectatores † Duumuiri enim magistratus sunt mu- 2 nicipales, qui ex decurionibus eligebantur, & id probãt meo iudicio duæ leges, nẽpe l. 4. §. duas. ff. de

de damno infecto,& l. fina.C.de iudi.quæ de magistratibus municipalibus mentionem faciētes, eodem & duumuiros appellant.Eodem iure proditum est,defensores ciuitatum non posse mulctā indicere.l.defensores.2.C.de defenso.ciui. qui vtiq; in paucis à magistratibus municipalibus differre noscuntur, quod deprahendere possumus ex vicinis duobus titulis. C.de defenso. ciuita. & de magistra.municipa.& notāt neoterici.in l.magistratibus.infr.eod. Item † magistratibus municipalibus denegatum est,ex secūdo decreto possidere iubere ad confirmandam & coadiuuandā suam iurisdictio.coercendumque eum qui longo tempore in non cauēdo indururerit. l.4.§.si intra. ff.de dam.infec. Illic enim esto,quod possint duo exequi, nempe iubere de damno infecto cauere, & propter contumaciam non cauentis in possess. mittere, alias tamen coercitiones prætor suæ iurisd.reseruauit.Non inficiabor autem in illa causa dāni infecti in possessionem rei missionem esse mixti imperij,atq; magistratui municipali cōpetere,verū hoc fauore causæ contingit & propter celeritatem in ea desideratam. l. 1. ff.de damn.infect.Vnde si tam vicinum vrbi sit municipium vt prætor adiri possit,nō exquiretur eo casu officiū magistratus municipalis. d.l.4.§. si tam vicinum. Simili fauore magistratibus municipalibus, ne eorum sententiæ illusoriæ sint & frustra latæ, liberum est ex leg.contra eum qui soluere iudicatū quę facere recusat, mixto vti imperio, & seruos eius pecudesue pignori capere l. quemad. §. magistratus.ff.ad l. Aquil. Dicas † forsitan, qui hoc fieri potest, vt magistratus municipalis non habeat mixtum imperium,quo iurisd.suam commodius exerceat,cùm principaliter ei modica coertio

tio concedatur à leg. l. magistratibus. inf. eod. Puto dicendum iure Digestorum hos magistratus nullam habuisse coercitionem, præter modicam & in seruos duntaxat, non autem in liberos. Hoc innuit prin. illius legis, licet gl. aliter illic opinetur & sentiat. Quæ quidem modica coercitio in seruos, minor dici & cēseri debet, quàm mixtum imperium in liberos, quod satis vel ex eo planū est, quod hæc in seruos castigatio priuatis competit, dominis putà, præceptoribus & magistris. l. vn. C. de emenda. seruo. l. sed etsi quemcunque. §. fi. ff. ad l. Aquil. §. sed & maior. Inst. de ijs qui sunt sui vel alie. iur. Nec puto. §. audient. in Authēt. de defenso. ciui. extendi debere ad magistratus municipales cognitos à iure digestorum, cùm ab eo defensores non cognoscerentur, ꝙ testatur Ioan. Imol. in d. l. 4. §. duas. & sequitur Ias. in l. magistratibus. infr. eod. Sola itaq; modica coercitio in seruos magistratibus municipalibus à iure digestorū cōcessa erat. qui sunt, quos in Gallia virorū maiores vel præpositos passim appellamus, quibus etsi mixtum imperium competit, hac tamē lege, vsu, aut alias plerumq; coarctatum est, vt neminē vltra sexaginta solidos, vel aliam modicā summā principaliter vel incidenter mulctare possint.

Ex omnibus suprascriptis habemus (vt opinor) clarè & iusto ordine elucidatam, ac è medulla legum excussam imperij iurisdictionisque doctrinam, in qua tot scrupuli, tot sine lege rationes, theoriaque antea cumulabantur, vt non immerito primas in iure difficultates omnium iudicio disceptatio hæc obtineret. At iam medius fidius inuenta & oblata veritate, tractatum hunc ex tenebris in lucem prodijsse, nec non multas leges obscuras in apertum liquidumque

intellectum redijsse aspicimus, vt nos amplius non torqueant inculcatæ multis retro tẽporibus disputationes & diuersæ sententiarum procellę, quæ totam hanc doctrinam subuertebant. Quid enim hodie confert, aut quorsum nunc pertinet se excruciare de officijs nobili & mercenario ad publicam vel priuatorum vtilitatem, quibus tota hæc scatebat disceptatio? Tam longè, me hercule, aberrat mens glossariorum ab imperij iurisdictionisq; vera significatione vt nihil remotius ab aperto verborum intellectu excogitari potuerit quàm communes Bartol.& aliorum definitiones. Quæstio ingens & inextricabilis erat, num mixtum imperium esset delegabile, quòd quàm facilè sit & in expedito supra ostendi. Cessant præterea & euanuerunt infinitæ ac infructuosæ difficultates hæsitationesq; in hoc disputandi genere per scriptores ad fastidium vsq; discussæ. Primum illa de iudicis datione, qui possit esse iurisdictionis. Deinde tres illę quas m●uet Ias. in l. iubere cauere. inf. eod. Rursum concord. l. fi. sup. tit. 2. ac definitiõis cõmunis in mixtum imperium. In quibus tã obscura, tamq; à legibus deuia, Doctores commiscuntur, vt sibi plerisq; in locis non satisfaciant: nec quid velint, aut quo eorũ disputationes vergant, aliquãdo intelligãtur; planeq; indignandũ est, & certè me miseret, tot classicos & primipilarios iuris interpretes in hoc genere scribendi operam tot sæculis (quod citra vllius contemptum dixerim) lusisse, & ingenia sua melioribus vtiquè accommoda, quæstionibus in hac doctrina plusquàm Ceratinis & Crocidilinis incassum cruciasse. Demum ad scalas me Gemonis mitti magis elegero, q̃ ad gradus quos hic Bar.& alij extraxerunt, per quos gradus si ascẽdere vel descen-

descendere coneris, titubabis profectò, atque in errores infinitos ingenium tuũ præcipitabis. Cæterùm quàm clarum, vtilem, fructuosum, & iudicibus necessarium hunc tractatum nostra inuentione docuerimus, perpendet studiosus lector, & quisquis inuestigandæ veritatis curiosus existit.

## SVMMARIA.

1 *Merum imperium significare causarum criminalium cognitionem, ciuilium cognitio iurisdictionis appellatione contineatur.*

2 *Mixtum imperium exerceri officio iudicis mercenario, contraq; quam Bartol. ac sequaces opinati sunt.*

3 *Merum imperium consistere in executionibus sententiarum tam ciuilium quàm criminalium, an sit verum. & nu. 7.*

4 *Sententiam suam posse eum executioni mandare, cui iurisdictio est mandata.*

5 *Magistratus municipales itemq; Aediles tametsi imperium non haberent, exequi tamen sententias suas poterant.*

6 *Consulum potestas apud Romanos cuiusmodi esset, & quousque progrederetur.*

8 *Officium iudicis rectius diuidi in nobile & mercenarium, quàm in merum & mixtum.*

9 *Magistratus minores, quàm diù in eo magistratu sunt, non posse in Ius impunè vocari, minores posse, atque inibi qui dicantur magistratus maiores, qui item minores.*

10 *Vsucapi fundum an seruitutem rectiùs dici, quàm præscribi fundum aut seruitutem.*

IVbet autem in calce huius tertiæ partis pauca de libello quem nuper Gillotus vir doctissimus in lucem emisit, commemorare, quo ipse nostras, imò verò Vlpiani definitiones, reprehendit, aliasque comminiscitur, vt Bartoli diuinationibus non parum adhærent, ita non minores patiuntur scrupulos. Ego certè pro Apologia primùm constitueram nostra hac editione, & Doctorum iudiciò esse contentus, nisi me tribus in locis falsò insimulasset, quare cùm me lædi premique temerè viderem, nolui mihi deesse, atq; eo maximè quòd hæc accusatio à fratre proficiscatur, quē ego sæpè præmonueram, vt nostra inuicem conferremus. Cui consilio si paruisset, multa certè delere & fortasse totam suam inuentionem subuertere adhibito Doctorum consilio impulissemus.
1 Sed iam ad rem veniamus. † Primùm ille quantum ad nostram in merum imperium definitionē attinet, contendit totis Pandectis nō legi merum imperium significare causarum criminalium cognitionem, & iurisdictionem ciuilium, ego suprà in eam rem ex legibus & ex Cicerone multa adduxi. Hîc autem vno duntaxat loco contentus ero, quo solo & meam cōfirmabo opinionem, & illius manifestò retundam, eum autem ex præcipuis & notissimis, quæ de mero imperio agunt legibus excerpimus, quem non satis perpendit Gillotus, tametsi frequenter eum inter deambulationes palatinas illi inculcauimus. Is est ex l. obseruare. §. fi. & l. solent. in prin. ff. dē offic. procon. & lega. ex quo habemus. Proconsulem, statim vbi ingressus est prouinciam, iurisdictionem legato mandare debere, solere etiam custodiarum cognitionem mandare legato, scilicet vt præauditas custodias ad se remittat, vt innocentem ipse liberet, sed hoc man-

maodati genus extraordinariũ est, nec enim quis potest gladij,&c.nec igitur liberandi reos ius habet, cùm apud eum accusari non possint. Nónne his legibus apertè probatur ordinarium esse, vt proconsul iurisdict.suam mandet, extraordinarium verò & priuilegij loco concessum vt mandet gladij aut alterius coërcitionis potestatem, quod est merum imperiũ, & quod in accusationũ receptionibus, custodiarũ cognitionibus, earum auditionibus, in sententia super crimine vel condẽnatoria (quã tamen proconsul sibi nominatim reseruat) aut absolutoria, deniq; in totius causæ criminalis notione consistit. Mea sententia illæ leges Procons. potestatem in duas species partiũtur, in iurisd. in qua versatur ciuilium causarum cognitio, quam mandare ordinarium est, & qua mãdata non venit merum imp. l.1.§.verius.sup.de off.eius cui man. Et in merum imper. quod in criminalium causarum cognitione consistit extraordinarieque demandatur, & cũ temperamento scilicet vt præauditas custodias legatus ad proconsul. remittat, si quid est quòd animaduersionem exigat. Hanc interpretationem expressim & ad literam tradit nobis Imp.in l.vni.C.de offic.proconsul. & legati (inquit) non solũ ciuiles, sed etiam criminales causas audiant, ita vt si sententiam in reos ferendã prӕuiderint, ad proconsul. eos transmittere nõ morentur. Ecce quod Vlpia.in l.solet, gladij potestatem Imperator criminales causas appellat. Prætereà cùm nos imper. coercitionem vel animaduersionem interpretamur, nónne nitimur auctoritate, l, vlt.ff.de offi.eius quæ imp.coërcitionem ad literã explicat. Item l.1.§.verius.eod.titu.quæ imp.animaduersionem appellat, & l.3.ff.de offic. præsid. quo prӕsidem in omnes extrancos habere imp.qui

 in

in prouincia sua deliquerunt rescribit? Hoc amplius. Ille haud ita dissimili interpretatione imp. vim quandam frequenter appellat, quòd nos coercitionem. Siccine illum hærere oportuit super ea interpretatione, de qua satis nobiscum conuenit? Contra mix. imp. finitore Vlpian. à nobis traditam descriptionem nihil ille, quod ad Rhombum faciat obijcit, sed tantùm † molitur in illud, quod
2 obiter protulimus, mixtum imperium exerceri officio iudicis mercenario. Ait enim damni infecti & legatorum fideicommissorumve causa interpositas cautiones exerceri officio nobili, quod & alicubi tenuimus. At si ille nostram hanc editionem primùm legisset, non tam scrupulosè huic rei animum intendisset, siquidem iamdudum hæc mixti imp. exempla deleueramus, & non esse mixti imperij in expositione, l. iubere cauere. sup. docueramus. Item falsò obijcit omnes omnium sententiarum ciuilium executiones mixti imperij à nobis censeri. Nam iudicem delegatum sentẽtiam suam posse exequi, mixto imperio & modica coercitione tantũmodò asseruimus, vtiq; verũ est, antiquos tenuisse eiusmodi executiones indiscriminatim esse mixti imperij, & ea ratione non posse delegari, verùm huic opinioni nequaquàm subscripsimus, imò expressim contradiximus.

In reprehensione definitionis quam in iurisdictionem dedimus adhuc maioribus obuoluitur Gillotus salebris, dum alia duo nos sensisse falsò affirmat: Primùm, definitionem iurisdictionis in hac lege describi, atq; eo nomine nos nihil tale opinantes oppugnat, modò logices immemorẽ, modò me mei oblitũ, appellando. Sed, rogo, quid manifestius quàm nos contrarium docuisse? nullam videlicet ab Vlpiano nobis hîc traditam iurisdict. defini-

definitionem, quòd forsitan truncatus sit & accisus nimium, &c. Alterum est, quod suadere conatur, iurisdictionem nostra sententia exerceri ad priuati tantummodò vtilitatem, cùm in generaliore sententia steterimus, omnia quæ nō sapiunt coercitionem, esse iurisdictionis, cuiusmodi sunt illæ, quas nobis obijcit Reipub. caura competētes actiones. Miror, me hercule, in his tribus quædam Longouallij nomine illum falsò protulisse, quæ vt vana facilè reprehenderet.

Nunc ad definitiones Gilloti accedamus. Ille † merum imperium in executionibus sententiarū tam criminalium quàm ciuilium consistere affirmat. vbi rogo id adinuenit? An leges ab eo citatæ hoc suadeant? an non apertè conuincitur testimonio sententiaq; dictæ l. solent. & ijs, quæ suprà ad definitionem iurisdictionis cumulauimus? Item l. qui dolo. in princ. ff. ad l. Iul. de vi publ. vbi qui imperium potestatemve habet, nō solùm exequitur, verumetiam quod iuris est decernit, imperat & facit? Quis hoc credat, maiestatem, summamq; iudicis auctoritatem ex sententiarum executionibus, non autem ex causarum definitionibus debere metiri? An Consules, prætores, & reliquos maiores magistratus esse & imperium merum habere ea causa dicemus, quòd sententias exequi præcipiunt, non autem alia quia in causis crimnalibus, quod ei ius est, decernunt, sententiamque proferunt? quod multò nobilius est, & longè insignius quàm executio. Quis nō senserit, rectius ea meri imperij esse dicenda, quæ meram continent animaduersionem, & in quibus iudex ad puram meramque coercitionem animum intendit, quàm ea quæ merum iussum, & purum citra causæ cognitionem præceptum complectuntur? Si Gillo- 3

cum ſequimur,lictores,apparitores, viatoreſque merum imp. habere magis dicendum eſſet,quàm iudices. Item quandò apud Liuiũ vnus ex Duumuiris ſententiam in Horatium protulit, nónne prius hæc verba(tibi perduellionem iudico) quã alia(lictor manus) acceſſoria ſunt & præcedentis ſententię neceſſarij appendices?An non quotidiè cùm maiores minoresve magiſtratus ſententias proferunt, illa præcepta iuſſaque omittunt, quæ ab actuarijs poſteà adijciuntur? Si Gilloto credimus,hæc clauſula quæ ſententijs quotidiè per logograph.inſeritur (quocircà primo curiæ noſtræ apparitori mandamus) &c.meri imp. ſummamq́; iudicis maieſtatem continet,quod eſt abſonum & ridiculum.

4 Quis illum†docuit,eos,qui mandatam habent iuriſdict. non habere merum imperium, hoc eſt, non poſſe ſententias ſuas exequi?atque id probare ſententia ſua noua in §. qui locus nihil minus quã eam rem ſenſiſſe omnium iudicio exiſtimandus eſt? Quinimò contra Gillotum ſtat ſua ſententia. Ille enim merum imper. in ſententiæ executione verſari probat maximè l. etſi prætor.ff.de offic. eius. Atqui ea lex de eo, cui mandata eſt iuriſdictio, loquitur, qui ſecundùm eum, & illi legi ab eo datum interpretationem, ſententiam ſuam exequitur.

5 Aediles† non habebant imperium, quod ex Varronis & legum noſtrarum ſententia in ius vocari poſſent.Item magiſtratus municipales,qui inter minores enumerantur, l.inter.ff.ad municipa. Atqui ædiles menſuras iniquas frangi,ac lectos in via publica poſitos concidi iuſſiſſe, & magiſtratus municipales pro iudicati executione ſeruum pecudémve pignori cœpiſſe teſtantur,l.item quęritur.

ritur.§.si quis mensuras.ff.loca. lectos. cum l. seq. ff.de peric.& commod.rei vendi.& l.quemadmodum.§.magistratus.ff.ad legẽ Aquil. quibus quàm frigidè & ieiunè illi respondeat,aliorum sit iudicium. Adde pro executione sẽtẽtiæ iudicem dari posse,l.cùm fideicommissum.ff.de confess. quæ si meri esset imperij,atque eo nomine specialiter competeret,vtique esset indelegabilis,l.1.supr.de offic.eius.

Sed † quæ de consulibus profert, qui sententiam in caput ciuis Rom.ferebant, quoniam populus exequebatur,vnde excerpsit? An non contra à l.2.§.exactis. ff.de orig.iur.est proditum? Nimirũ consules de capite ciuis Rom.non cognouisse,nec sententiam dixisse,nisi iussu pop.Ro. Solùm enim eis relictum erat,vt coercerent,& in carcerẽ duci iuberẽt,hoc est,solùm iniussu populi ius prehensionis habebant, quod nos captionem corporis vulgò appellamus. Cætera peragebant Consules iubente populo,& hoc negotium illis delegante. Dictator autem solus iniussu populi cognoscebat & sententiam in caput ciuis Rom.dicebat: Planè si eum audimus, Consules eo nomine,quod coercere,& in carcerem duci iubere possunt, merum imperium non haberent: quod aduersatur,l.2.ff. de in ius vocan. & ijs quæ ex M.Varrone, Gellio, & alijs suprà luculenter tradidimus. 4

Prætereà † quid tam vanum, quàm cum eo explicare leges, quæ vetant gladij aut alterius coercitionis potestatẽ ad alium transferri, hoc est,ius gladio exequendi sententiã nõ posse delegari.Siccine leges sanas vulnerat, integras obruit, & claras tenebris suis insinuat.Possem alia pleraq; contra eius definitionem adferre, Verùm quid opus pluribus, cùm vnus Vlpian. in hac lege sufficiat? 7

Ego certè finitorem Vlpia. potiùs imitabor, quàm diuinantem Gillotum. Accedat, quòd neminem artis Rhetoricæ peritum latet non potuiſſe elegantius criminalium cauſarum cognitionem exprimi, quàm per gladij poteſtatem. An eloquentius poſſis explicare aliquē cauſis criminalibus preſſè quàm cùm dicis poteſtatem gladij eum habere ad animaduertendum in facinoroſos? Cùm certè inſipidum & inuenuſtum iure & meritò putauerim, qui abiecta I.C. finitione aliam ſomniauerit, & cum militari via facilè ambulare valeat, per angiportus, & diuerticula malit aberrare.

Quæ ille de mixto imperio prodidit, ſatis à noſtra definitione refelluntur: nec ea res indiget magna diſputatione, vtpotè quæ quatuor, aut ad ſummum quinque legibus de eo mentionem ad literam facientibus terminatur. Mihi ſanè diuiſio in imperium, quod iuriſdictioni cohæret, & aliud cui iuriſdictio ineſt, tam improbatur, vt nihil eorum quæ aſſerit, legibus probari contendam. An non manifeſtè fallitur, dum ait hæc, præhendi reum, & in carcerem duci, teſtes in cauſa criminali torqueri, multaque alia eſſe mixti imperij? Planè contra eum palàm ſtare mihi videtur, l.2. in princ. ff. de in ius vocan.

Legant hanc legem, Imperium, periodis & comatibus quæ inuenimus, & quæ poſteà reperta in quodam venerandæ antiquitatis volumine, ei & pleriſque alijs in palatio deambulantibus (ne nos id falsò fuiſſe cōmentos aliquis opinaretur) oſtendimus, ſanè tum ipſe huius legis veriſſimum intellectū amplexabitur, nec in tenebris ampliùs tam
8 anxiè omnes obambulabunt. In eo † quod de mero & mixto iudicis officio præter omnes attulit,

tulit, bis labitur. Primum in partitione officij in merum & mixtum. Siquidem omne iudicis officium merum est, siue nobile illud, siue mercenariũ fuerit, l.5. in prin. ff. de verb. oblig. vbi passim merum officium vtrunque & nobile, & mercenariũ appellatur, & satis apertè liquet ex ijs, quæ à nobis tradita sunt in expositione l. iubere cauere. Prę tereà in altero non subscribam Gilloto, qui mercenarium, barbaro, inepto, sordidoque & plebeio vocabulo dici putauit. Cur enim mercenarium officium quod actioni seruit non dicamus, quomodo mercenarium hominem & seruum? Hæc verba velut magistralia vsus approbauit: nec ego temerè immutabo, cùm carmina saliorum vix sacerdotibus suis satis intellecta mutari aliquando (auctore Quintiliano) vetuerit religio. Quæ de Iurisdictione sentit & de delegationis doctrina non refellam: Satis enim contra eum pugnãt leges, quas ipse in suam sententiam inuitas plerunque pertrahere conatur & satagit. Illud † non omittam, maiores magistratus à Varrone & legibus nostris appellari, qui merum (de quo diximus) imperiũ habent, minores qui iurisdictionem tantùm. Atque Gillotum valdè à scopo discedere existimo, qui de l. nec magistratibus, ff. de iniur. hoc verbum, imperium, pro mixto imperio acceperit contra hanc legem, Imperium. Item in l.2. ff. de in ius vocand. de imperio simpliciter fit mentio. quod de mero intelligendum est, cùm nulla mixti qualitas adijciatur. Mirum est in ea re tam superstitiosè eum laborasse: cùm vno verbo hæc omnia iuxtà veritatem à nobis absoluantur. Poteram alia multa articulatim & maiore apologia repungere: Verùm hæc veritatem inquirentibus, meo iudicio, abundè sufficient. Demum hoc confiteri ingenuè 9

 ausim,

ausim & iuratus affirmare, me nihil lecto Gilloti libello à sententia nostra desciuisse, quod equidẽ fecissem, si me præiudicijs grauibus, atque vrgentibus legum testimonijs oppressisset. Non enim adeò sum pertinax & refractarius, aut inuentionis nostræ tam acer defensor, vt non assentiar meliora sentientibus. Multi me viri docti priuatim post primam editionem aggressi sunt aliquot epistolis, quibus partim respondendo satisfeci, partim, sed me herculè, in paucis obtemperaui. Alciatus † dũ
10 apud Bituriges l. quinque pedum explicaret, me submonuit, vt fundos seruitutesq́; vsucapi, nõ autem tempore præscribi, deinceps latinè scriberẽ. Fundi enim vel seruitutes limitibus & metis pręscribuntur. Cùm autem aliquid certo tempore pręscribi dicimus, hoc ad actiones vel accusationes quæ tempore excluduntur, pereunt & limitantur, pertinet, l. quamcunq;. ff. de requir. reis.

Alius de iurisdictione aduersus summum principem vsucapione me aliqua ex parte perperam sensisse conuicit, quod hac editione emendaui. Cæterùm aliena quæ damnent, multos facilè reperias, paucos verò qui meliora sentiant,

μωμεῖσθαι γάρ ῥᾷον ἐστιν μιμεῖσθαι.

Hæc breuibus.

NOVAE

QVARTA PARS
# NOVAE DECLARATIONIS IN L. IMPERIVM PER DOMINVM IOANNEM LONGOVALLIVM, CAVSsarum in Parisiorum Senatu patronum.

## SVMMARIA.

1 *Iurisdictione alicui per principem concessa, trãseat necne merum imperium, & nu. seq.*
3 *Intellectus verus ad l. 1. ff. de off. eius cui mand. est iurisdict.*
4 *Merum imperium quibus competat.*
5 *Generali concessione non venire ea, quæ specialiter exprimenda sunt.*
5 *Iurisdictionis concessionem non esse beneficium, sed onus potius ac prouinciam.*
7 *Iurisdictionis oneri nullum inesse commodum.*
8 *Beneficia principum quatenus sint latißimè interpretanda.*
9 *Beneficia principum super iure dicundo esse ambitiosa, ac proinde restringenda.*
10 *Merum imperium transeat necne in concessione castelli, villæ, oppidi, vel ciuitatis à principe facta, & an iurisdictio, & nu. seq. & 17.*
12 *Legato, villæ, domus vel castelli, non cedunt instrumenta, supellex, & alia adiacentia.*
13 *Verborum significationi inhærendum esse, nisi de voluntatis interpretatione manifestè constet.*
14 *Iurisdictionem nõ cohærere castello vel ciuitati, sed*

*ipsis magistratibus.*

15 *Merum imperium, vel ius tollendi furcas, quod quis habet in aliquo fundo, ratione totius territorij, non transire per alienationem illius fundi.*

16 *Territorio concesso, transire etiam iurisdictionem, tanquam territorij verbo comprahensam.*

18 *Iurisdictionis vsucapio vt possit procedere, quæ sint necessaria.*

19 *Iurisdictionem vsucapi decem vel viginti annis, contra quam hactenus opinati sunt interpretes.*

20 *Iurisdictionem conferri cum seruitute, quam continuam vocant.*

21 *Seruitutes omnes decem vel viginti annorum spatio vsucapi, aliter atque hactenus traditum sit ab interpretibus.*

22 *Seruitutes non rectè hactenus diuisas fuisse ab interpretibus in continuas & discontinuas, sed omnes ex æquo continuas esse, atque etiam discontinuas.*

23 *Intellectus ad l. seruitutes, la. 4. ff. de seruitutibus.*

24 *Possessionem in seruitutibus ac cæteris rebus corporeis nihil aliud esse, quàm ipsarum vsum.*

HActenus imperij & iurisdictionis leges explicuimus, regulasque certas in ea disceptatione præscripsimus. Iam hinc ad nonnulla quæ obiter, sed non abs re discutiunt, & pertrectant in hac lege Scribentes, animum intendamus. Duo sunt præcipuè: Primum concessionem iurisdictionis respicit, sequens ipsius vsucapionem.

Quod

Quod ad primum attinet, Doctores mouent duas quæstiones, Prior est: † An concessa per Principem iurisdictione, transeat merum imperium. 1
Nam de mixto imperio non amplius esse ambigendum suprà docuimus per l.1.§.fin.& l. fin. sup. titu.2. In hoc articulo Ioan. Andr. in addit. ad Speculat. in titu. de iurisdict. omnium iudic. refert varias & discrepantes incidisse opiniones. Verùm crebrior & ab omnibus ferè recepta sententia obtinuit: Concessa alicui iurisdictione à Principe, concessum censeri & merum imperium. Citatur in eius assertionem præsertim ratio l. fin. ff. de constitu. Princ. Nimirùm principis beneficium quam latissimè esse & plenissimè intelligendum. Item absurdum esse & temerarium, Principis liberalitatem non augeri, sed astuta interpretatione diminui, l. fina. de præpo. agen. in rebus, libr. 12. Cod. Iason hic amplectitur contrariam opinionem, motus quatuor argumentis, ad quæ haud grauatè respondet Valasc. Lusitanus. Verùm dum is ipse Ias. respondet ad l. fina. annuere videtur merum imperium concessa iurisdictione venire, si motu proprio & non ad partis postulationem rogatumve, princeps eam donauerit. Ego verò † aduersum hanc communem sententiam credo concessa iurisdictione à Principe vel motu proprio non venire merum imperium. 2

Moueor primò per legem iuris ciuilis, quæ habet mandata à Proconsul. iurisdictio. non transire merum imperium, l.1.§. fin. supr. titu.2. meo iudicio hæc lex videtur hanc quæstionem absoluere, vt iam amplius super ea disputandum vel dubitandum non sit. Quod si contendas illi dispositioni locum esse, qua à Proconsule demandari merũ impe-

imperium non poteſt, hoc ſanè falſum eſt per l. ſolent. ff. de offi. proconſ. & leg.

3 Præterea † ſi te moueat principium illius legis, quod decidit eos errare, qui cum publici iudicij habent exercitationem, iuriſd. ſuam mandant. ſi enim mandata iuriſdi. non tranſiret merum imperium, non vtique errarent. Dico illam l. in prin. de eo loqui & ſentire, qui merum duntaxat imperium habebat, vnde mandando iuriſdict. ſuam, de mero imperio neceſſum erat intelligi, in quo mãdato erraret, & hoc tenet glo. in authen. de defenſo. ciuit. §. nullę, in verbo, iuriſdictione, & nos ſuprà ſecuti ſumus.

Deinde ſuffragantur noſtrę opinioni iuris põtificij canones, quibus cautum eſt, in vicarium generalem cui epiſcop. iuriſd. mandauit, non tranſire merum imperium, c. licet, de offic. vicar. libr. 6. Tametſi merum imperium Epiſcopus & quicunque alius Eccleſiæ Prælatus, iure Pontificum demandare poteſt, quod & ſuperius alio loco à nobis proditum eſt. Rurſum † huc pertinet, quod me-
4 rum imperium nulli competit, niſi cui ſpecialiter eſt conceſſum, d. l. 1. §. fin. ſup. titu. 2. Ea verò † quæ
5 ſpecialiter exprimenda ſunt in generali conceſſione non veniunt, l. obligatione generali, ff. de pigno. faciunt notata in l. Pomponius, in princip. ff. de procuratoribus. Præterea quæ ſpeciali nota digna ſunt, ſub genere non compræhenduntur, l. item apud Labeonem, §. ait prætor. ff. de iniur. & obiter ita ratiocinatur in hoc propoſito Baldus in c. quanto, extr. de iudic. Supereſt nunc vt ad l. fin. ff. de conſtitut. Principum. qua maximè firmatur & fulcitur communis ſententia, reſpondeamus.
6 Olim reſpondebam, † nos cum de conceſſione iuriſdi-

risdictionis loquimur, non de beneficio agere sed potius de onere & prouincia non modica. Nam ius dicendi, munus personale esse. l. fin. §. iudicandi. ff. de muner. & hono. munus verò personale in labore & vigilantia animi consistere, l. 1. §. illud. ff. eod. titu. Prætereà munus iudicandi inuito deferri dicebam, d. §. iudicandi. Quod si onus non esset beneficium, in inuitum sanè & recusantem nõ conferretur, l. hoc iure, §. non potest, ff. de donatio. l. inuito, ff. de regul. iur. Adde quòd iudex cognitionem causæ à se abdicans, se exonerare dicitur, c. pastoralis, in princip. ext. de offic. delega. & hoc approbat Abb. in c. cæterùm. 2. colum. extr. de iud. & gloss. in c. si constante, de offic. deleg. lib. 6. Quòd si illud verũ est, iurisdictionis concessioné onus esse, sequitur, susceptorem oneris censeri grauatũ, quàm minimè fieri potest. l. qui cõcubinam, §. 1. ff. de lega. 3. Itaque in ea concessione quæ onerosa sit, non debere fieri latissimam interpretationem causatus sum.

Dicas forsitan iudicandi munus habere commodum pecuniarium, cùm iudici salarium erogetur è publico, §. ne autem. in authen. de iudic. Verùm & tutoribus salarium debetur, l. à tutoribus, ff. de administr. tut. quos tamen in administranda tutela onus sustinere, omnes leges, omnia iura ꝓclamant. Accedat, quod si dicamus, iudicandi munus habere commodum munerariũ, fateamur consequenter esse sordidum, iuxtà sententiam Bar. in l. 1. C. de mulieri. & in quo lo. muli. lib. 10.

In † iurisdictione autem nullum esse commodum tenet Bartol. in l. si vni. & alij post eum in l. tunc autem, ff. de re iudic. Quod si quantulumcunque salarium detur iudicibus, hoc pro sumpta præstari censetur, & eo nomine in capite anni sol- 17

uendum

uendum eſt,l.ſi verò non remunerandi. §. final. ff. manda.notant Scribentes in l. diem functo, ff. de offic.Aſſeſſor. Non iuuat etiam iuriſdictionis onus ab omnibus expeti,quia ſimiliter ad ſacerdotia eccleſiarum omnes anhelare videmus. Cæterũ ea ſunt eiuſmodi vt oneris loco præbeantur. hoc gl.in l.ait prætor.in prin.ff.de minor. quam notat Abb.in c.ex parte.4.col.ext.de reſt.ſpol.

Aduerſum autem hanc meam reſponſionem fortiter vno pugnatum eſt argumento, nempè iudicandi munus eſſe beneficium,quia magis ad honorem quàm ad onus pertineat, l. cui muneris. ff. de mune.& honor.facit c. ad debitus honor. extr. de appellat.& lex omnem honorem,C.quan. prouoc.non eſt neceſſ.

Verùm reſpondebam honorem huiuſmodi veluti ſequelam venire,& ex onere proficiſci, quod & tenet Abb.in c.ſuper literis,vltim.colum. extr. de repub.hoc etiam ſenſit gloſſ.in d. c.ſi contra.in verbo,probari.

8 Verius autem,† & magis ex lege ad l. final. reſpondere poſſumus, beneficia Principum latiſſimè interpretanda,modò à iure arctior interpretatio non approbatur, quod ſit in articuli huius diſceptatione per dictam l.1.§.final.& d.c.licet. Quę iura tametſi de proconſule & Epiſcopo mentionem faciunt, ad Principem tamen protrahenda ſunt & extendenda.Nam proconſul & Epiſcopus iuriſdictionem legato & vicario committens, dignitatem conferre dicuntur & donare, cùm collatio dignitatis ſit donatio, auctore Abbat. in c. cùm acceſſiſſent,in 3.notab.extr.de conſtitut. Donatio autem priuati latiſſimè interpretanda eſt. c.
9 cum dilecti. extr. de donatio. Adde † principum beneficia ſuper iure dicũdo eſſe ambitioſa (quod vnuſ-

vnuſquiſque ſuo ſenſu ſatis percipit, & probat lex Iulia, quæ magiſtratuum ambitum damnat, & coercet) atque ideò inſtar pontificię liberalitatis, quæ ſacerdotia continet, eſſe reſtringenda, c. quāuis. de pręb. lib. 6.

Non negauerim autem in conceſſione pleniſſimæ aut omnimodæ iuriſdictionis, aut alio modo per verba Principis ita diffuſa, vt de mente eius appareat, venire merum imperium. l. ſi in aliquā. §. cum pleniſſimam. ff. de offic. proconſ. & lega. gl. in Clem. vni. in verbo, omnimodam, de for. compet. Secunda quæſtio interpretum eſt. † Non con- 10
ceſſo à principe oppido, caſtello, villa, vel ciuitate concedatur merum imperium & iuriſdictio. in quo articulo Oldrad. conſil. 251. reſpondit merum imperium nedum iuriſdictionem venire. Quod autem iuriſdictio veniat, voluit Bald. in d. l. fin. ff. de conſtitu. Princ. Bart. cùm in alijs locis, tum in l. ſi quando, de bon. vacan. lib. 10. Cod. Ludo. Roma. in conſi. 434. Tenent multi, quos refert & ſequitur Alexand. in l. 1. ſupr. eodem. Nec reperio aliquem, qui huic ſententiæ multum aduerſetur, aut contradicat.

Citantur ab ijs præcipuè quatuor rationes. Prior, quod licèt merum imperium in ſpecie debeat concedi, tamen illud cum vniuerſitate tranſire, vel verius confundi conſtat, vt multa alia, quæ vel ſpecialiter concedi non poſſunt, c. ex literis, ext. de iure patr. c. cùm Bertoldus. extr. de ſenten. & re iud. l. in modicis. ff. de contrah. empt. & vendit. l. inter eos, ff. de acquir. rer. domi. Alia eſt Principum beneficia, &c. l. fin. ff. de conſtitu. principū. Item mouentur à l. 1. §. cùm vrbem. ff. de off. præfecti vrb. & à d. l. ſi quando, de bon. vacan. Ac ex notatis apud Bartolum in l. 1. ſuprà eod. vbi decidit

iurisdictionem cohærere territorio, atque ita con cesso castello aiunt venire iurisdictionem, quæ ter
11 ritorio castelli cohæret. Ipse autem † opinor com munem istam Dd. sententiam, veris & firmis legũ rationibus non esse fundatam. Quin ei primum aduersatur d. l. si quando. quam passim pro sua opi nione ipsi aduocant. Ea enim lex extendit donationem domus ab imperatore factam, ad adiacentia propter hæc verba (integro statu) in ea donatione apposita. Si igitur Imperator ea verba non adiecisset, non vtique venissent in ea donatione adiacentia. Iudicio meo lex illa eneruat, & penitus euertit communem Doctorum nostrorum sententiam, quæ tot consilijs, tot allegationibus asseritur vt neminem vsquequaque reniti aut reluctari vi-
12 deamus. Rursus † aduersus eam facit, quod in testamentis quibus latam largimur interpretationem, c. cum dilecti, extr. de donat. legato domus, villæ aut castelli, cedunt instrumenta, supellex, & alia adiacentia. l. fin. ff. de supellect. lega. l. 2. §. 1. & l. cùm fundus, ff. de fundo instructo. Prætereà cur ita interpretentur concessionem Principis, cùm hoc verbum significatio non patiatur? A qua non
13 aliter † recedendum est, quàm cum de voluntate concedentis aliud manifestè appareat, argument. l. non aliter, ff. de legat. 3. Et verbis inseruiendum esse Iureconsultus consulit, donec de interpretatione sit manifestum, l. 1. §. si is qui nauem, ff. de exercito. actio.

Superest, vt argumentis, quibus maximè fulcitur communis opinio, respondeamus. Primum enim non me mouet, multa cum vniuersitate transire. Nam hoc locum habet in ijs quæ vniuerso
14 compræhenduntur † iurisdict. autem castello, villa, vel ciuitate non compræhenditur, neque illis

cohæ-

cohæret, sed potius magistratibus & ius in territorio dicentibus; quod & tenuit Bart. ac vulgo omnes in l.1.sup.eod. Aliàs si iurisdictio inesset castello & ciuitati, æquè vni prædio cohæreat: atque eo nomine in concessione vnius prędij venire iurisd. quæ illi prædio inest, dicendum esset, quod est absonum, † & contra sensit Bald. in l. à procuratore. 15
C. manda. nempè vendito fundo cum omni iure non accedere, nec sequi emptorem merum imperium, vel ius tollendi furcas, quod habet venditor in eo fundo in signum imperij ad eum in toto territorio pertinentis, quia (dicit ipse) nihil habet commune proprietas fundi vel castelli, cum proprietate iurisdi. Non obstat etiam principum beneficia plenissimè intelligi debere: quia hoc verum est, quàm maximè ipsorum patiuntur, vt diximus: aut nisi per aliam strictior interpretatio approbetur quod fit in d.l.si quando.

Quod ad d.l.1.§.cum vrbem, attinet, non puto respondendum cum Bart.in l.1. de excusa. muner. lib.10.C. qui dicit, speciale esse in vrbe Rom. Sed dico in d. l. 1. principem concedere merum imperium & iurisd. ex eo apertè colligi, quod ipse vrbem Rom. non concedit, sed iurisdictionē merumque imperium præfecti vrbis fideicommittitur.

Postremò ad sententiam † Bart.in l.1. sup.eod. 16
respondeo Bartol. benè sensisse, dum eo loci vult concesso territorio venire iurisdictionem. hoc enim verbum, territorium, iurisdi. denotat & secū trahit, l.pupillus, §.territorium.ff.de verb. signifi. Et concesso territorio, conceditur iurisdictio tanquam inclusa, atque in ipsa dictionis appellatiōe cōprehensa. Non enim dicimus priuatū aliquem habere territorium, sed eos duntaxat, qui iurisdictionem habent exercendā intra limites territorij

17 l.fin.infr.eod. Teneamus † ergo donationi oppidi villæ, vel castelli à Rege, duce, vel ab alio Principe emananti non cedere iurisdictionem, quod equidem verum est in iurisdictione, quæ an dignitate regia vel ducali descenderet, & quæ regi ducive dignitatum contemplatione eo in oppido cõpeteret. Verùm quando oppido vel castello annexa est iurisdictio, & illius dominium quis à se vẽditi donative, aut alio quouis titulo abdicat, magis est iurisdictionem vt rei annexam subsequi & ad emptorem oppidi transire. Ista est scita & breuis distinctio Bartoli, quam prętermissis allegationibus infinitis & superfluis, amplector in d.l. inter eos.ff.de acquir.rerum dom. vbi paucis ponit discrimen inter iurisdictionem quæ personę, & aliam quæ loco adhæret. Idem & in mero imperio quod loco cohæret, dicendum existimo, quandoquidem si in venditione veniunt annexa, quæ separatim vendi non possunt, d.c.ex literis, videtur merum imperium, quod nominatim cum oppido pecunia quæri vendiq; non est improbatum. Ex his colligere est, si cuipiam à Christianissimo Francię Rege donatum sit oppidum, villa, vel castellum, non venire in ea donatione iurisdi. quam ibidem in præsides aut eorum legati in totam prouinciam authoritate regia exercent: sed eam duntaxat, quã oppidi illius domini in oppidanos vel oppidi illius ambastos, clientes, vasallosve loci exercere cõsueuerunt. Quæ & patrimonialis iure nostro vocatur, & ita eam nominat Ioan. Fabri forẽsis vsus, qui in gallia nostra obtinet, fidelissimus interpres in authen. statuimus, C. de Episcop. & cleri. & hæc quidem quod ad prædictas duas quæstiones attinet, breuibus explicata satis sunt. Accedo ad alterum articulum, nimirum ad iurisdictionis vsucapio-

pionem. Qui articulus meo iudicio perquam difficilis est atque obscurus, & multa longaque examinatione indigens. Continet enim pleraq; in ser uitutibus obscura, quæ hactenus rectè & ex legib. explicari non aduerterim. Ad † eam autem vsucapionem scriptores hic & in varijs communibusq; locis multa recitant esse necessaria. Primum tempus, vt ipsi dicunt, immemoriale. Deinde scientiã aduersarij. Tertium præscribentem habere castellum vel territoriũ. Quartum, bonam fidem. Quintum, existimationem vsus iure proprio. Postremũ tit. iustum. Quæ omnia suis locis ex ordine à nobis explicabuntur. 18

Horum primum, quod habet iurisdictionem vsucapi tempore quod memoriam hominum excedat, & quod plurium frequentiorisque scholæ consensu & patrocinio fultum est, puto rectè per Dd. non tradi. † Quin ex diuerso verius arbitror 19
iurisdictionem vsucapi legitimo & statuto tempore, hoc est, decem annorum inter præsentes & viginti inter absentes, modò quis ea non vi, non clam, non precario ab alio vsus fuerit: & hoc siue de ipsius iam quæsita dilatione, & prorogatione, siue de noua acquisitione agamus. Nec mihi probantur distinctiones, quas aggerat Seuerinas hic in 17. q. Non etiam hanc nostram opinionem confirmare intendimus nonnullorum argumento qui 
censuerunt † iurisdictionem conferri debere cũ 20
seruitute quam continuam vocant, ea ratione, qđ qui iurisdictionem exercet, continuè & semper habet apparitores, tribunal paratum, furcas erectas, leges dictas populo, & multa id genus, ex quibus perpendi volunt, assiduum iurisdictionis esse exercitium, l. congruit. ff. de off. præsi. atq; iurisdictionem ea de re habere causam cõtinuam tenuit

Alber. in l. foramen. ff. de seruitut. vrban. prædior. licèt is ipse aliter sentiat in l. 2. ff. de offic. proconsul. & lega. Tenuit etiam Ioan. Fabr. in §. retinendæ. Institut. de interdictis. Et est argumento, quod dicit Bald. in c. tua nos. el. 1. extr. de iureiur. exactionem vectigalis comparari seruituti continuæ, propter custodes ad eam à mancipibus assiduè adhibitos, licet idem Bald. iu l. à procuratore. C. man da. asserat prędicta indicium argumentumque iurisdictionis duntaxat præstare & significare. Item iurisdictionem habere causam continuam alia ratione respondit Barto. in l. iusto. §. non mutat. ff. de vsucap. Verùm moueor vno axiomate, quod omnibus retro sæculis inauditum intentatumque fuit, & quod iure παραδοξότατον dici possit: Nimi-
21 rum † omnes prædiorum seruitutes decem vel viginti annorum tempore acquiri & vsucapi, modò illis nec vi, nec clam, nec precario ab aduersario vsi fuerimus. Atque ita iurisdictionem siue eã cum hac, vel illa seruitute conferas, decem annis vel viginti vsucapi contendimus, & præscriptionem decem vel viginti annorum in ea habere locum opinamur. Hæc opinio licet alioqui nimium audax, & temeritatis plenissima multis videatur, tamen vt existimem verissimam, multæ me leges rationesq; vehementer impellunt, quibus si doctis non satisfaciam, ac saltem in magnis me aliquid tentasse ne, rogo, despiciant. Verùm vt res clarior prodeat, & elucidetur radicitus, paulò altiùs de natura & vsucapione seruitutum aliqua repetemus. quæ medius fidius mihi maximè omnium difficilia, obscura, & confusionis plena semper æstimata sunt.

Ecce conuenit inter omnes ad vnum interpretes, & glossas iuris ciuilis, in l. seruitutes. 4. ff. de

seruĩ

seruitutibus, in l.2.C. de seruitutib. & aqu. iuris Pontificij, in c.de quarta, extr.de præscriptionib. seruitutes continuas decennij vel vicennij spatio, discontinuas verò tempore, quod memoriam hominum excedat vsucapi. Hæc doctrina ab omni æuo per manus tradita, ad hæc nostra vsque tempora peruenit sine aliqua controuersia. Non explico, quæ seruitutes ab eis continuæ dicuntur, & quæ contra discontinuæ. Nam theorias veterum indicasse, in quibus communes eorum traditiones depræhendas, sat nobis fuerit, qui protrita & toties vulgata te prius legisse intellexisseque opinamur, & facilè nobis persuademus. Ego
autem in † primis non video, vnde structuram & 22
basim huiusce partitionis Doctores euocauerint, nec arbitror ex fonte legalis disciplinæ colligi potuisse, vt aliquos prædiorum seruitutes continuas, alias verò discontinuas comminisci debeamus, quin potius affirmare constanter audeam, legibus manifestè probari, omnes prædiorum serui tutes ex æquo esse continuas & discontinuas, sed vario ipsarum effectu & respectu. Hoc mihi dictant l.seruit.4.ff.de seruitutib.vrbanor. prædior. Super quibus cardo huius doctrinæ vertitur, & quas pro inuenta sua partitione peruersè satis & obliquè citant scriptores. Explico apertioris † in- 23
telligentiæ caus.d.l.seruit.quæ planè hoc decidit, omnes seruit.tam vrban.quam rusticorum, nō habere certam continuamq; possess.quia nullus tam continenter illis vti potest, quin aliquo momento sua possessio interpelletur, hoc est, interrumpatur, vel facto tertij vel naturæ quæ aliquod impedimentum vsui seruitutis apponit, vel voluntate nostra, quia nolumus, vel non expedit, vti momentis aliquot. Hæc lex de omnibus seruitutibus

loquitur nec se ipsam restringi permittit. Atqui asserit omnes prædiorum seruitutes non habere certam contiuuamq; poss. hoc est, certum & conti
24 nuum vsum. Siquidem † possessionem in seruitutibus & rebus incorporeis nihil aliud esse arbitror, quàm vsum ipsarum, l. quoties, §. fina. ff. de seruit. Imò etiam incorporalibus poss. appellauit vsum I.C. in l. quæstio. §. possessio. ff. de verbo. significat. Itaque quod ad possessionis vsumque seruitutum quæ prædijs deberi possunt, attinet, omnes dicuntur (vt eorum verbo vtar) discontinuæ, quia in vsu earum frequens occurrit cessatio, intermissio & interpellatio.

SVMMARIA.

1 *Intellectus ad l. foramen, ff. de seruitut. vrb. prædio. & num. 6. & 41.*

2 *Seruitutem itineris habens, potest etiam noctu per vrbana prædia iter facere.*

3 *Seruitutem viæ sui natura non habere intermissionem, atque inibi emendata l. vsusfructus. ff. de vsufru. lega.*

4 *Seruitutes non rectè hactenus diuisas fuisse ab interpretibus in continuas & discontinuas, sed omnes ex æquo continuas esse, atq; etiam discontinuas.*

5 *Seruitus proijciendi quæ dicatur.*

7 *Intellectus ad l. Seruitutes, la. 3. ff. de seruitutib. & num. 9.*

8 *Intellectus ad l. certo generi, ff. de seruitut rusticorum præd.*

10 *Intellectus ad l. vt pomum. ff. de seruit.*

11 *Seruitus, de qua in l. vt pomum, ff. de serui. an possit saltem valere vt seruitus personalis. & nu. 15.*

*12 In-*

12 Intellectus ad l. Lucius ff. de seruit. rust. prædior. & quæ sit ratio decisionis illius legis & nu. seq.
14 Seruitutum realium eam esse naturam, vt gratia prædiorum concedantur, & non vltra extendantur.
16 Seruitutem debitam accipi per manũ eius, cui debetur, debitorem autem teneri ad patientiam præstandam in earum vsu.
17 Intellectus ad l. 1. ff de vsufruct. lega. & nu. 21.
18 Vsumfructum prædij habens, potest alteri ex suo vsufructu vsum vel habitationem concedere.
19 Vsum domus habens potest inquilinum secum recipere.
20 Seruitutem realem ex alia seruitute reali concedi posse.
22 Intellectus ad l. cùm vsusfructus. ff. de vsufr. lega.
23 Intellectus ad l. 2. § idem Neratius. ff. si seruitus vendic.
24 Seruitus quare non poßit concedi vsufructuario. Item iurisdictionem vsucapi, decem vel viginti annis, contra quã hactenùs opinati sunt interpretes.
25 Fructuarius quare non poßit intendere confessoriã pro seruitute debita fundo, in quo habet vsumfructum, aut nouum opus nuntiare pro ædificio in damnum illius seruitutis extructo.
26 Intellectus ad l. Mela. §. fina. ff. de alimentis & cibar. legatis.
27 Intellectus ad l. si prius. ff. de aqua plu. arcen.
28 Intellectus ad l. locare. ff. loca. Itemq; ad l. si is qui. §. fi. cum l. seq. ff. de pignorib.
29 Vsucapioni certum tempus non fuisse præstitutum

*iure Digestorum.*

*30 Seruitutes omnes decem vel viginti annorum spatio vsucapi, aliter atque hactenus traditum sit. & nu. 35. 37. & 43.*

*31 Intellectus ad legem si quis diuturno. ff si seruit. vendic.*

*32 Actio pluuiæ arcendæ quando & cui competat.*

*33 Via vicinalis sit publica an priuata, quō probetur.*

*34 Noualis sit nec ne ager, quomodo probetur.*

*36 Iurisdictio de itinere reficiendo quis possit agere, atque inibi excussa lege apparet. § penul. ff de itin. actuq́; priua.*

*38 Sepulchri ius in nullius bonis esse, nec possidere, nec vsucapi.*

*39 Seruitutes non posse propriè vsucapi, cùm propriè nō possideantur: sed tamen posse quasi vsucapi, cū quasi possideantur.*

*40 Seruitutis libertatem propriè ac verè vsucapi, cùm seruitus non verè, sed quasi vsucapiātur, & cur tam variè.*

*42 Intellectus ad l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana & æstiua.*

*44 Iurisdictio & merum imperium longo tempore vsucapitur.*

*45 Iurisdictionem non posse vsucapi aduersus Imperatorem vel alium summum principem, & an hoc sit perpetuum. & nu. seq.*

*47 Iurisdictio patrimonialis quæ dicatur.*

*48 Iurisdictionem facilius vsucapi aduersus pontificem Romanum, quàm aduersus imperatorem, & quæ sit huius ratio.*

LEX † autem foramen aliud tractat omninò diuersum et seiunctũ à d.l.seruitutum.Nempè omnes prædiorum seruItutes continuam & perpetuam causam habere debere,illa de poss. & vsu seruitutum,hæc de causa,conditione & natura disputat, eam autem latius explica, omnes prędiorum seruitutes eam conditionẽ naturamq; sortiri debere, vt possint esse perpetuæ & continuæ, atque illa vt(si lubet)perpetuò & sine intermissione omnibus horis & momentis illis vti liceat,alioqui si sit aliqua seruitus, quæ non habeat causam continuam,hoc est, qua non possumus assiduè & semper vti, quia de natura sui habet interualla,interruptiones, quibus etiam si maximè vellemus,non possemus ea vti, hæc nõ erit seruitus prędij,nec tempore acquiretur prædio.Perpetuum enim hîc accipitur non sempiternũ modò, sed continuum,& quod nullo temporis spacio intermittitur, quemadmodum in l. si cùm dotem.§. si maritus.ff.solut.matri.furorẽ aliquandò habere interualla aliquandò cõtra perpetuum morbum esse legimus. Ponit autem Iurisconsultus in hac lege tria exẽpla. Primum est de foramine in imo pariete conclauis vel triclinij(ne legas in vno pariete, prout vulgò nostris pandectis exaratum legimus. Nam in imo pariete legalem magis redolet elocutionem, & ita scriptum in vetustis codicibus inueni) proluendi pauimenti causa, quod non potest esse seruitus prædij, vel flumen, id est, canalis vel fistula, vti exponitur in l. fistulas.ff. si serui.vendi.& in l.fina.ff.de seruit. Quia continuè non potest fieri, vt proluatur pauimentum, & eijciatur proluuies per foramen, cum emundato semel pauimento,non statim & in momẽto nasci aut emergere possit alia proluuies,quæ per foramen

tamen eijci continuè, citra cessationem & sine intermissione possit, sed expectandum est aliquod temporis interuallum, quo alia proluuies interueniat, nouaque immunditіes enascatur, quæ manu per foramen extrudi possit. Vnde fit, vt illa seruitus foraminis in ima parte parietis proluendi pauimenti causa si in eum locum nihil ex cœlo aquæ veniat, non possit habere causam cõtinuam & naturam perpetuam, propter quã seruitus prædij iudicari possit. Si verò in conclaue vel triclinium aqua è cœlo casitet, & si non assiduè fluit, ex naturali tamen causa fit, & ideò perpetuò fieri existimatur. Vnde ad finem illius legis cautum est, stillicidij immittendi naturalem & perpetuã causam esse.

Secundum & tertium exempla faciliora quidẽ & apertiora ponit lex in aquæ ductu ex lacu & ex stagno. Ex illis enim ideò non potest seruitus prædij consistere, quòd aquæductus ille non posset esse perpetuus & continuus, cùm de natura sui, lacus & stagnum perpetuam & perennem non habeant aquam, imò nonnunquàm exarescant, l. lacus. ff. de acquiren. rerum dom. l. vn. §. stagnum. ff. vt in flum. pub. Quòd si lacus suapte natura esset perpetuus, vtique ex eo concedi seruitus nauigandi, piscandi vel aquæductus, aut alia quæuis posset. l. via. §. si lacus. §. de seruitutibus rusticorũ prædiorum, quamuis gloss. illic Bartol. in l. foramen. & alij contra locum illum aliter opinentur. lacus enim quosdam habere aquam ex natura sui perpetuam, alibi proditum est in l. vn. §. lacus. ff. vt in flumi. publ. l. 1. §. caput aquæ. ff. de aqua quot. & æstiua.

Itaque ex hac lege, foramen, colligamus seruitutes itineris & aquæductus habere causam continuam,

tinuam, quiа continuę per me vel per alium ire et aquam ducere, si libuerit, possum, l. vsu. cum l. seq. ff. quemad. seruitus amit. l. 1. §. 1. ff. de aqua quotid. & æstiu. Quòd si vsus ipsarum per interualla seruatur, nõ ex hoc immutatur causa, quominùs sint perpetuæ seruitutes sed adijcitur vsui & possessioni ipsarum modus, l. seruitutes. 2. ff. de seruitutib. & l. via. §. vsus. eod. titul. Ex quo † emergit, eum, qui seruitutem itineris habet, etiam noctu per vrbana pręedia iter agere posse, nisi id partium conuentione excipiatur, l. iter. ff. commu. præd. Contra quã legẽ Bar. in eius expositione loquitur, dum asserimus, ex natura esse vt per vrbana prædia interdiù tantùm eamus, nàm contra lex ipsa exprimit, vt interdiù tantùm eatur, partium conuentione constitui circa vrbana prædia esse necessarium. 2

Addo ad confirmationem istius intelligentiæ nonnullas alias leges, quæ hanc expositionem nõ modò suggerere, sed plenissimè probare videntur. Nimirũ l. 1. §. loquitur. ff. de aq. quotid. & æsti. in verbis (nulla enim alia aqua duci potest, nisi quæ perennis est) quæ proculdubiò significant seruitutem aquæ ductus non posse concedi nisi ex aqua, quæ perennis est & perpetua. Item l. vn. §. 1. vers. hoc interdictum. ff. de fon. vbi seruitus aquæductus ex cisterna concedi non potest, cùm cisterna nec perpetuam causam, nec viuam habeat aquam, sed solùm imbribus ipsa concipiatur.

Adde quod † expressè & nominatim relatum est de seruitute viæ, quam discontinuam scriptores fabricati sunt, nempè eam ex natura sua non habere, intermissionẽ. hoc nobis exprimit ad verbum, l. cùm vsusfructus alternis annis. ff. de vsufructu lega. In qua si affirmatiuam habes orationem 3

nem

nem ſcribe negatiuam, quemadmodum in vetuſtis codicibus legimus, & ita legendum ſentit in illa lege Bartol. conſcius aliquantulum iſtius in l. foramen intelligentiæ, quàm in d. l. foramen. dicit fuiſſe Roffredi D. longè antiquiſſimi, ſed profectò tam induruerat Barto. in ſua & antiquorum expoſitione, vt ad aliam planam & claram velut aliud agens non aduerterit. Hoc ampliùs nota per illam l. cùm vſusfructus. inuicem adæquari ſeruitutem aquæ & viæ. Atqui ſeruitus aquæductus ſecundùm communes definitiones nō habet intermiſſionem, ſed omniū iudicio ſeruitus continua reputatur.

4 Sit † igitur nobis hoc nouum axioma, & hoc ex ſupradictis, colligamus omnes prædiorum ſeruitutes eſſe eiuſmodi, vt earum vſus non ſit continuus, nec perpetuus, d. l. ſeruitutes, poſſitq́; partium conuentione ſecerni, d. l. via. §. vſus. ipſæ tamen ſeruitutes in ſua cauſa, conditione & natura, continuæ & perpetuæ ſunt, ac eſſe debent, aliâs ſeruitutes prædiorũm non ſunt, d. l. foramen.

Quòd ſi hanc expoſitionem ſuggillaueris teſtimonio legis primæ. ff. de ſeruitutib. vrbanorum prædiorũ, in qua agitur de ſeruitute proijciendi, quæ non poteſt habere cauſam continuam, ſicuti nec ſeruitus foraminis in imo pariete: Adferam ſolutionem, qua planum faciam aliquos ſiniſtrè, & nullo adhibito iudicio ciuilia iura plerumque

5 interpretari. Cæpolla † in tractatu ſeruitutum vrbanarum. in c. de ſeruitute proijciendi, eam ſeruitutem eſſe accipit, cùm domus ſuperioris dominus aquam, vel aliud in fundum areamve inferiorem proijciendi ius habeto, quæ expoſitio friuola eſt & rudis. Iureconſultus enim de ſerui-

tute

tute natura sui, continua loquitur, qua quis sibi vendicat proiectum aliquid aut extensum supra fundum vicini habere, veluti subgrundam vel mœnianum (quod Parisij Saliam vocant) l. malum. §. inter proiectum. ff. de verbor. significatio. l. final. §. penulti. ff. quod vi aut clàm. l. si duo. §. item videamus. ff. vti possidetis. & stillicidium in alienum proijcere, hoc est, extensum habere dicimus. l. seruitutes. in princ. ff. de seruitutib. vrbanor. prædior.

Aduerte † autem sedulò, probe lector, ad interpretationem dictæ legis foramen. dum vult stillicidij & foraminis perpetuam causam esse, licèt assiduè aqua ex cœlo casitare non possit, quia quod ex cœlo cadit, & si non assiduè, ex naturali tamen, &c. Nam hæc verba sanè intelligenda sunt, quandò in fundo dominante ex naturali causa aliquid fit. Tum ènim nec per dominum, nec per fundum dominantem fit, quo minùs assiduus possit esse vsus seruitutis. Quòd si in fundo seruiente id accidat, non habebit locum hæc ratio: nec ea ratione causam seruitutis perpetuam iudicabimus. Argumento sunt, quæ de lacu, stagno, & cisterna dicimus. Ex quibus aquæductus seruitus concedi non potest, licèt æquè ac in stillicidium ex cœlo naturaliter aqua decidat in lacum, stagnum, vel cisternam. Potestas igitur vtendi seruitute, ex naturali causa, quæ perpetuam generat, ex parte fundi dominantis accipienda est & consideranda, non autem ex parte fundi seruiētis. Sic quotidiana aqua dicitur, qua dominus ex parte fundi dominantis quotidiè vti si libuerit, potest, nō autem ea quotidianæ loco censebitur, vt ex ea seruitus consistere possit, quæ ex naturali causa 6

vt puta

vtputà ex visceribus terræ diffunditur in fontem seruientem, qui perennis non est, & assiduè non decurrit. l. 1. §. 1. & §. loquitur. ff. de aqua quotidiana & æstiua.

Hæc ad expositionem & nouam intelligentiam, d. l. foramen quàm apprimè obscuram & difficilem atque ex intimis asperioribusq; scientiæ ciuilis apicibus desumptam semper existimaui. Atque ex ea sensu quo retulimus intellecta, emergunt intellectus perquàm lucidi, euidentes & clarissimi in multas alias leges itidem difficillimas, ac rigore iuris obfuscatas, quas peruersè, confusè & obliquè hactenùs interpretes nostri mea sententia explicuerunt. Primo † loco accipe l. serui-
7 tutes. 3. in princ. ff. de seruit. Quid causæ est, quòd seruitutes neq; ex tempore neque ad tempus, neque sub conditione, neque ad certam cōditionem iure ipso concedi possunt? Certè eo modo vsusfructus conceditur, & obligationes contrahuntur, l. 3. ff. de vsufr. l. obligationum ferè in princip. ff. de act. & oblig. Ne torqueas (rogo) animum tuum in rationibus, quas ibi causatur, & in quibus Philosophum agit Barto. Ne intelligas secundùm eum hanc legem in conditiōe extinctiua, aut alias Dd. meras nugas, & ingeniorum cruces amplectare. Nam euidenter in causa est, quod dicitur in d. l. foramen. omnes prædiorum seruitutes perpetuam causam assiduamque & continuam habere debere, atque ea ratione neque ex tempore, neque ad tempus stricto subtilique iure constitui posse. Hanc rationem attigit gloss. magna ad fin. in d. l. l. seruitutes, quam nihil ad propositum facere putauit illic Bart. licet eam is ipse sequatur alibi in l. Caius. ff. de ann. lega. Dicit enim gloss. leges voluisse eiusmodi seruitutes constitui cum temporis

perpe-

perpetuitate propter fundorum vtilitaté, & hoc de ſubtilitate iuris,non autem æquitate.

Eodem † modo expone l.certo generi.ff.de ſeruit. ruſt. præd. vineis ſubſatis non eſſe ſublatam ipſo iure ſeruitutem,quæ eis debebatur, etiam ſi inter partes ita conuentum ſit, ſed ope exceptionis. Quandoquidem ſeruitus illa mero iure debuit eſſe,& fuit perpetua, atque aliter conſtitui non potuit. Verùm ſublatis vineis ex æquitate & ope exceptionis eliditur & præter rigorem iuris extinguitur ipſa ſeruitus, ſi ita conuenerit. 8

9 Secundò † explica §. fin.d.l.ſeruitutes tria interualla dierum & horarum nó ad temporis cauſam ſed ad modum pertinere,hoc eſt,ex eo, quod per interualla temporum ſecernitur vſus ſeruitutis, non ſit quo minus ipſa habeat cauſam perpetuam, ſed adijcitur illi ſeruituti alioqui perpetuæ modus vtendi, qui in ſeruitute conſtituéda recipitur. §.modum eadem lege. Sic ſeruitus aquæ quotidianæ recipitur, quæ intermiſſione temporis diuiſa eſt l. 1. §. quod autem. ff. de aqua quotid.& æſti.

Tertiò † explica clarè l. vt pomum in princ.de ſeruit. Quæſt. eſt antiquiſſimæ, cum pomum decerpere in alieno ſpatiari cænariue licere, non poſſunt iure ſeruitutis prædij concedi. Si dicas, eiuſmodi ſeruitutes nōn conſiſtere, quia delicatorum votis iura facere abnuerunt,hoc gl.improbat,& ſanè ridiculum eſt. 10

Præterea ſi reſpondeas, vt vulgo omnes, hoc eſſe, quia ſtipulatio ſupradictorum nō poteſt eſſe ad fundi vtilitatem, hoc planè falſum eſt.Nam ſi ſtricta domus contractaque & cubiculatim modo cœnaculatimque habitata mihi contigerit, quis neget vtile domui meæ hoc eſſe, ſi liceat ha-

bitatoribus eius in vicinum tuam & continentem, quæ spatiosa sit, cœnatum ire vel spatiatum? Nónne hoc tantam prædio afferet vtilitatem, quantam seruitus aquæductus amœnitatis causa constituti? l. hoc iure. in princi. ff. de aq. quotid. & æsti. aut seruitus ne prospectui officiatur quæ eò vel maximè tendit, vt dominus gratiorem aspectum & liberum habeat? l. inter. ff. de serui vrb. præd. Nam domus si hæ seruitutes in stipulationem deductæ sint, magis æstimabitur, aut carius veniet? An non æquè ad vtilitatem prædij id facit, quod in vicino tuo hortulo pomum & alios fructus colligendi ius habeam, ac si aquam hauriendi, ligna cedendi, appellendi ad aquam pecoris, & alias seruitutes, quæ hominibus pecoribusque in prædio habitantibus inseruiunt, mihi concesseris? Non certè video cur illa communicatione seruitutes in l. vt pomum. positæ, prædijs acquiri non valeant, cùm prædiorum meliorem causam indubiè faciant, vt reliquæ seruitutes.

Sumenda est ergo ratio noua, ex noua intelligentia d. l. foramen. nempe prædicta quæ enarrantur in l. vt pomum. non posse iure seruitutis realis concedi, quia non possunt habere perpetuam & continuam causam. Non potest enim naturaliter effici, vt quotidie pomum decerpere possimus, cùm id non semper ab arbore pendeat, sed statis tantummodo temporibus anni. itidem non possumus semper cœnatum, aut à cœna prandioue spatiatum ire, quum hæc certis horis non autem omnibus suapte natura explicentur. Adde quæ in l. Melæ. §. fin. paulo inferius dicturi sumus.

11 An autem suprascripta iure seruitutis personalis valere possint, disputant gloss. in d. l. vt pomum.

mum. in l.pecoris.ff. de seruit.rustic. prædiorum in l.Mela.§.fina.ff.de alimen. & cibar.lega.& in l. apud Iulianum.§. si alicui Digest.de legat.primo quarum opinionem sequitur Bartol. & communiter scriptores, contendentes ea non iure seruitutis cēseri, sed cuiusdā obligationis & iuris psonalis. Ego verò existimarim, omnia iura, q̄ alienis in præsidijs vt quispiam accipiat, conceduntur, atque aliqua ex causa non possunt esse seruitutes prædiales, vtpote quia non habent continuam & perpetuam causam, d. l. vt pomum. vel quia non habenti vicinum prædium, vel non quatenus ad vicinum prædium opus est, conceduntur aut fauore personæ præcarioue data sunt. d. l. pecoris, cum legibus sequentibus l. pater. ff. de seruit. l. Lucius. ff. de seruitutibus rusticorum prædiorum l.2.ff.de precario. Omnia, inquam, eiusmodi iura putarim loco seruitutis personalis seu quasi vsusfructus vel vsus debere æstimari, & ad hæredem non transire.

Primum ad hoc me impellit, quod à quocunq; impediente, sicuti cæteræ seruitutes vendicātur. l.ergo.ff.de seruitutibus rusticorum prædiorum. Quod si obligatio tantummodo personalis inesset, non vsquequaq; vendicarentur nec cōtra tertium efficax intentaretur actio, sed aduersum cōcedentem duntaxat l.fin.ff.de contrahenda emptione & vendit. Id etiam probat, quòd legimus de aqua quotidiana & æstiua, quæ aliquando prædio, aliquando personæ conceditur. l.1.§.permittitur.ff.de aqua quotidiana & æstiua. Pro ea autem quæ personæ debetur, interdictum possessorium competit. dict. l. 1. §. præterea. Quod si ius & obligatio personalis ex illa concessione tantummodo oriretur, non certè daretur aut

competeret interdictum l.fin.ff.quo.bono. Bald. in l.iubemus nulli in princ.C.de sacro.eccle. Accedat huc l. veluti. ff. de seruit. rust.præd.vbi ius arenæ fodiendæ,calcis coquendæ,& similium nō ad opus prædij concessum censetur:& vocatur vsus fructus,& sic seruitus personalis. Longè autē recedit àb vsufructu ius calcis coquendæ, & lapidis eximendi,& arenæ fodiendæ, ædificandi eius gratia quod in fundo est. Ita lege illum versi. qui multis in libris magnam patitur verborum superfluitatem.

12 Quartò † facit d.l.Lucius.ff.de serui.rust.præd. vbi Paulus respondit, aquæ ductum concessum Seio, vt ad suam domum, quæ in Isthmo est,vel quemcunque locum possit eum deducere, esse vsum,aquæ personalem,nec ad hæredem Seij quasi vsuarij transmitti oportere. Ecce locum vbi illa concessio personalis quasi vsus vocitatur. facit. dicta lex si pater. in verbis, vsum transeundi personæ datum.

13 Non † putauimus autem rationem Alciati recipiendam, qui in dispunctionibus prodidit in illa l. Lucius. seruitutem personalem ideo esse cōstitutā,quia Grçca lex sic habet. δίδωμι, καὶ χαρίζομαι σοί. Nem hæc verba licet donationem & gratificationem significent, vtique liberalitas esset extendenda c.dilecti.ext.de donat. Præterea expositio verbi χαρίζομαι, hoc est per modum facultatis concedo, longè abscedit à verbo præcedenti, quod est δίδωμι. Rectius ergo & magis ex lege dicamus secundum gloss. & Dd. concessionem in illa l.Lucius,non continere plenum ius seruitutis, sed vsum tantummodo personalem eo nomine, quia ad quemcumque locum, nedum ad domum,quæ in Isthmo est,aquæductus concedebatur.

tur. Quod datur intelligi aquæductum non ad prædij modò vtilitatem;sed & aliud commodum fuisse concessum. † Natura autem tam vrbanarum quàm rusticarum seruitutum est, vt gratia prædiorum concedantur,& non vltra possint cócedi,quàm quatenus ad fundum opus est. d. l. ergo.ad fin. Atque ipsis prædijs deberi ea ratione dicuntur,& non personis.l.si mihi eodem. §. fin.ff. de seruit.rusticorum prediorum; propterea ex aquæductu meo aquam alteri dare,vel aquæductũ locare non possum, ne aliter quàm ad fundi mei commoditatem vtar l. ex meo. & l. cùm essent. §. per plurium. ff.de serui. rusticorum prædiorum. l.locare.secundum vnum intellectum.ff.loca.Verùm ne forsitan in hac re me hariolari existimes, & contra torrentem temerè brachia tendere, ego pro hac communi expositione & ratiocinatione in illam l.Lucius. inueni alium locum reconditum,qui nominatim mihi hoc expressit in l.1.§. præterea Labeo.in verb. (siquidem ductus aquarum non sint fundi, quia quocunq; duci possunt) Digest. de aq. quotid. & æst. Concludimus † ergo in d. l. vt pomum. in l. pecoris. & legibus sequentibus in l. Lucius & alijs similibus seruitutes esse personales,non autem simplex ius personale,cui conclusioni assentire videtur Ioann.Fabri in §.æquè.Institut.de action. Et ex ea descendit Accursium in l.si quis binas.ff.de vsufruct.maximè falli, qui quatuor modò speciebus seruitutes personales circumscripsit. 14 15

Verùm vt res clarior appareat, obijcies fortasse l.Caius.ff.de annu.lega.ad quam tu clarè respondeas in ea lege legatarium per manum hæredis legatum accipere, vnde fit, vt contra hæredem personali tantummodo actione experiatur

† natura autem seruitutum est, vt per manum illius cui debentur, accipiantur:& hæres aut alius debitor patientiam præstet in earum vsu, qui & ab alio impediri potest, quo fit, vt confessoria in illis tam realibus quàm personalibus posse intentari, vt diximus, & probant duo titu. si vsusfruct. peta.& si serui. vendi. ff. in illa autem l. Caius, nemo potest impedire legata, præter hæredem, vnde petitur, & qui debet soluere. facit l. fundi Trebatiani. l. patrimonij. ff. de vsufruct. lega. & glo. in l. 2. si quis ita. ff. de vsufructu.

Hanc autem sententiam de seruitute personali contra communem reperi, postea iuxta mecum tenuisse Vdalricum Zas. virum (meo iudicio) doctissimum, & verè iurisperitum, vt qui nō carptim speciatimque vnam legem modò vel verbum aliquid annotationis loco explicat, sed plenas sæpè Doctorum theorias doctrinasque ad germanumque ordinem & sensum reducit, atque vtinam multos in academijs legum eiusdem studij viros haberemus, non certè in plerisque iuris articulis tam obliquè à legibus deuiaretur, nec esset locus multis disputationibus commentitijs, cauillosis & planè sophisticis, quas Doctores in hanc legalem disciplinam ignorantia latinè quæ in legibus exuberat, dictionis & eloquentiæ plerumque adnexerunt. Addit idem Zasius vnum, in quo ei facilè assentior; Nimirum seruitutes illas iure optimo esse reales, quæ contemplatione rei muncipibus in aliqua ciuitate, vico vel oppido degentibus perpetuo competunt, & cum personis non extinguuntur. Cuiusmodi sunt multæ seruitutes, quibus in Gallia passim vtimur, secandi ligna in vicino nemore, venandi in silua aliena, pascendi pecora in pratis alienis, & infinitæ

tæ aliæ id genus, quibus æquari poteſt ius compaſcui, quod in ſaltu communi municipes habent. iuxta l. teſtatrix. §. plures. ff. ſi ſerui. vendi.

Hæc obiter ſed iam ad cœptum à nobis iter, & ad d. l. foramen redeamus. Quartò † ex prædicta 17
d. l. foramen. intelligentia exurgit noua & facilis expoſitio l. 1. Digeſt. de vſufruct. lega. Dicit lex vſumfructum itineris, aquæ viæ, aut alterius ſeruitutis non poſſe legari; quia ſeruitus ſeruitutis eſſe non poteſt, Bartolus & alij ſe torquent anxiè in eius legis expoſitione, quàm philoſophicis, imò veriùs phantaſticis rationibus firmare & ſuſtinere nituntur. Tu autem clarè explica, vſumfructum ſeruitutis non poſſe legari, quia vſusfructus temporalis eſt, & certis modis finitur. Seruitutes autem debēt eſſe perpetuæ quo fieret, vt vſusfruct. ſeruitutis contraria implicaret, & in ſe connecteret, quum ſeruitus perſonalis, quæ temporalis eſt, nō poſſit eſſe ſeruitutis realis, quę eſt continua & perpetua.

Nec verò intelligas generaliter, ſeruitutem ſeruitutis eſſe non poſſe, ſed ſeruitutem vnam perſonalem puta, non poſſe alterius eſſe ſeruitutis, realis ſcilicet. † Nam vtique quid prohibet 18
fructuarium ex ſuo vſufructu alteri vſum vel habitationem concedere, & ſic perſonalem ſeruitutem in alia perſonali conſiſtere, cùm fructuarius poſſit vendere, locare & gratis vſumfructum ipſum aut ſaltem illius vtilitatem, commoditatemue alteri concedere. §. primo. Inſtitut. de vſu & habit. l. neceſſario. §. fin. Digeſt. de peri. & commun. rei vend. † Quinimò ſi ſpatioſæ domus 19
vſus homini mediocri ſit relictus, vt portiuncula contentus eſſe poſſit, illè habitationem alteri

dare, inquilinumque secum recipere poterit.l. cæterum in princ.ff.de vsu.& habit.

20 Præterea † ex seruitute prædij seruitutem aliam realem concedi posse planum habemus ex l. Labeo.Digest.de ri.& l.cum esset.§.final.ff.de seruitut. rusticorum prædiorum, qui locus innuit ex seruitute eiusdem generis concedi posse: nec ea causa prædium sibi seruire, sed ius riui aut aquæductus meum, prædio tuo. Item ex eo non fit, vt fructus seruitutis concedatur: quod fieri non potest per d.l.1.

21 Alius est † modus fermè, Gordianus in illa l.1. qui identidem per hanc intelligentiam meo iudicio rectè & verè dissoluitur.Dicit Iurisconsultus legatum vsus aut vsusfructus itineris aut viæ non esse vtile, ex Senatus Consulto quo cauetur, omnium, quæ in bonis sunt, vsumfructum constitui posse. l. 1. in princip.supr.de vsufruct.ea.re.quia id legatum non est in bonis. Intellige legatum vsus aut vsusfructus, itineris nō esse in bonis, quia ad illud (cùm mero & stricto iure nullum sit) nulla mero iure competit actio. Illud enim dicitur in bonis esse, ad quod actionem vel pro quo exceptionem habemus. l.rem in bonis. Digest. de acquir.rer.dom.Non tamen est extra bona, quo minus illius vsus aut vsusfructus possimus habere commercium. Extra bona enim sunt res sacræ, religiosæ, publicæ & aliæ, quæ priuatorum cōmercio eximuntur. l.1.in princip. ff. de rerum diuis. Idcirco ex æquitate, non autem mero & subtili iure competit actio præscriptis verbis, vt res legatario facultatem eundi præstet, quæ est seruitus personalis, vt diximus, aut vt constituat seruitutē data cautione ab ea discedendi, si mors, aut capitis diminutio interuenerit; ita puto extri-

extricanda esse difficillima verba illius legis contra gloss. illic, & in d. l. rem in bonis. quas Bartolus & alij amplectuntur, dum non habeant, quod meliùs ad legis expositionem afferre possint.

Quintò, † per hanc intelligentiam perspicua est nobis & lucida l. cùm vsusfruct. ff. de vsufruct. legat. Illic enim legatum viæ alternis annis non continet plura legata, sicuti legatum vsusfructus, quoniam seruitus viæ aut aquæductus, natura sui habet causam continuam, & sine intermissione perpetuam, quamuis vsus ipsius per testatorem secernatur alternis mensibus vel annis, & ita modus in ea apponatur, qui nihil causam & naturam seruitutis, quo minus perpetua sit, immutare solet. d. l. seruitutes. 3. §. fina. ff. de seruitut. Vnde legatum itineris alternis annis, cùm nihilominùs habeat causam continuam, vnum legatum est, vsusfructus autem legatum alternis annis plura legata continet, & alternis annis in principio anni cedit nouum legatum. l. cùm in annos. ff. de annu. lega. l. cùm in annos. cum l. sequen. ff. quando dies lega. ced. l. vnic. in princip. ff. quando dies vsufruct. lega. ced. 22

Ex quo fit, vt huiusmodi legatum vsusfructus alternis annis vel in singulos annos non possit tẽpore amitti, tanquàm singulis annis renouatum & constitutum, cùm legatum viæ alternis mensibus vel annis duplicato constituto tempore amittatur. l. fin. in princip. C. de seruitut. facit l. 1. §. final. l. si vsufruct. alternis annis. ff. quib. mod. vsufruct. amitta. & l. si sic. ff. quemadmod. seruit. amitta. vbi gloss.

Sextò † explica l. 2. §. idem Neratius. ff. si seruitut. vend. vbi iter quod fructuario præstatur fru- 22

endi gratia, non est seruitus, nec soli fructuario potest ipsa deberi aut constitui. Causantur autem gloss. & Scriptores id esse, quia tũ seruitus ad fundi vtilitatem non esset, sed fructuarij. Verùm hæc causa facilè subuerti potest, siquidem vera prædi, seruitus est, quæ eatenùs conceditur, quatenùs ad fundum opus sit, d. l. ergò. Si ergò detur fructuario seruitus, vt possit in alieno cogere & colligere fructus, coactosque habere, certè erit ad vtilitatem prædij. Proinde, qui hoc fieri potest, vt fructuarius, qui naturaliter possidet fundum. l. naturaliter. ff. de acqui. possess. Item qui id nomine fundi. l. seruitus. cum l. seq. ff. quemadm. ser. amit. Item qui suo nomine vtitur. l. fructuarius. ff. eod. tit. non dicatur illam seruitutem acquirere ad prædij commodum?

14 Dicamus ergò, † fructuario non posse concedi seruitutem realem, in expedito esse alia ratione, quòd videlicet eiusmodi seruitus temporalem & non perpetuam causam haberet. Mortuo enim fructuario, vel aliter finito vsufructu periret, & interdiceret ipsa seruitus.

15 Secundùm † hoc fructuarius pro seruitute, fundo, in quo habet vsumfructum, debita, confessoriam intendere non potest. l. 1. in princip. ff. si vsusfruct. per l. 2. in princip. ff. si seruit. vend. Neque pro ædificio in damnum illius seruitutis molito, nouum opus suo nomine nunciare. l. 1. §. final. ff. de oper. no. nuncia. Vbi Scriptores mirum in modum turbantur, & ingenia sua cruciant super ratione illius decisionis, quæ per hanc intelligentiam facilis est & perspectissima. Pari ratione obiter planè occurrit l. in prouincia. §. si ego. ff. de oper. nou. nuncia. quæ superficiario seruitutum causa actionem & operis noui nũciationem con-

concedit,non autem inquilino. Quo superficiarius vtile & perpetuum habeat in re dominium: Inquilinus verò temporariam modò locationem. Vtiq; verum est vtilem confessoriam fructuario, colono, inquilino, & alijs ad tempus, non autem in perpetuum in possidentibus contra tertium competere, & ea ratione nouum opus eos nomine domini nunciare posse.d.l.vnic.§.fina.ff.de remiss.l.ei qui pignori. ff. de seruit. Cæterùm directa suo nomine eos experiri,rigor iuris ciuilis nō permittit, cùm eis seruitus realis mero & subtili iure concedi non posse. Idem & viceuersa contra fructuarium directam pro seruitute actionē mouere prohibet,& vtilem tantummodò concedit, ne temporaneam seruitutem à fructuario vendicare videamur.l.fi.ff.de seruit.l.apud.§.fina.& l.si vsus fructus.ff.de aq.plu.arcen.

Septimò, † hæc intelligentia porrigit & affert 26
maximum lumen tenebrosæ l.Mela.§.fin.ff.de alimen.& ciba.lega. Qui locus duobus in locis incorrectus est & à Typographis euidenter corruptus,in versi.enim. Nam etsi haustus aquæ,&c.Habes vulgò ita, est seruitus personæ, tamen ei qui vicinus non est,&c.lege aliter,& repone hoc modo, Est seruitus per se, non tamen ei qui vicinus non est.Deindè ad fin.legis habes,Hæc enim aqua personæ relinquitur. Repone sic, Hæc enim æquè personæ relinquuntur.

Sit igitur intellectus illius §. planus & liquidus. ille testator qui legat aquam, aut cisternam habet aut non. Si non habet, debetur æstimatio & precium aquæ legatario ? Si vero habet cisternam,debetur seruitus personalis,de qua supr.fecimus mentionem, hoc est, legatario concessum cēsetur, vt aquā ex cisterna hæredis quamdiu viuat,

uat, accipere possit. Posteà dicit lex hoc fideicommissum seruitutis personalis, quæ datur legatario, vt ex cisterna aquam accipiat, non videri inutile quasi seruitute prædij non possessori vicinæ poss. relicta. Nam & si haustus aquæ vt pecoris ad aquam, appulsus est seruitus per se, hoc est, suapte natura & regulariter, quando datur habenti vicinum prædium, non tamen ei qui vicinus nō est, inutiliter relinquitur. Quòd si legeres absque illa negatiua dictione, non, & ita inutiliter relinqui, certè ratio concluderet omninò contra id, quod à Iurisconsultis fuit enunciatum & decisum. Paulò enim antè dixerat, inutile non videri fideicommissum.

Subsequitur, in eadem causa erunt, &c. vbi I. C. tractat de seruitutibus non habentibus causam continuam & assiduam. Nimirùm in alieno gestandi, vuasque premendi, & de seruitute area aliena ad frumenta aliaque legumina exprimenda vtendi. Quas non habere causam continuam ideò constat, quod certis & statutis temporibus anni tantummodò explicantur. Idcircò supradictæ seruitutes æquè personæ relinquũtur, hoc est, vt sint seruitutes personales, quę cũ personis extinguantur, non autem reales, quæ perpetuæ sint & continuæ. Illam legem multos quidem legisse, at paucos plenè & rectè intellexisse arbitramur.

17 Octauò † declara l. si prius. ff. de aq. plu. arcen. quæ censet aquæ nocturnæ diurnæq; ductus separatim diuersisque conuentionibus aut cessionibus alicui constitutos, esse diuersarum causarũ. Nempe quamlibet illarum seruitutum habere suam causam continuam & perpetuam: atque ideò vnã posse constituto tẽpore perdi, alia nihilominùs integra: diuersa autẽ causa est, quando vnicus sub

ſub vna verborum conceptione ceditur aquæductus, tam diurnis, quàm nocturnis horis. Hic enim vtens diurnis modò temporibus, non amittet aquam nocturnam, quòd vnica ſit ſeruitus cauſam habens continuam & perpetuam, ac vnicam duntaxat, & non diuerſas, & per vſum partis retinebitur vtiq; tota ſeruitus. l. ſi ſtillicidij. §. fi. ff. quemadmod. ſer. amit. l. vna eſt via. ff. de ſeruit. ruſtico. prædior.

Deniq; † ex hac l. foramen oritur euidẽs, & clara ratio, qua fundi dominus ius eundi, aut aliam quamcunq; ſeruitutem habenti confinem agrum locare aut pignori hypothecæve obligare nõ poteſt. l. locare. ff. locati & conducti. l. ſi is qui. §. fina. cum l. ſeq. ff. de pignorib. Nam cùm locatio tempore, pignus verò debiti ſolutione aboleantur, nõ poſſet ſeruitus locata, pignoríve mihi obnoxia, perpetuam cauſam habere. Verùm eſt pignus ſeruitutis ruſticæ, propter vtilitatem contrahentiũ, non autem ſtricto, ſubtilique & mero iure (vt de ſeruitute ad diem vel ſub conditione conceſſa, & de vſufructu ſeruitutis ſuprà diximus) ex æquitate recipi, quam lex non admittit in ſeruitute vrbana, ne ruinis ædificiorum, ciuitatumq; deformitati via aperiatur. 28

Fui fortaſſè in his declarandis impendio prolixior, ſed obiter hæc explicuiſſe iuuabit, quibus manifeſtò apparet antiquos iuxta ac neotericos legum interpretes in doctrina ſeruitutum præcipua fundamenta non rectè ieciſſe, protuliſſeque multa contra leges, nec lumen eis ſemper, ſed tenebras ſuis interpretationibus inieciſſe.

Iam verò ad inſtitutum ordinem redeamus, teneamusq; citra aliquam hæſitatem traditionem ſcriptorum, qui putauerũt ſeruitutes diuerſo iu-

re censeri, & quasdam esse continuas, alias verò discontinuas, nō inniti legibus, imò verò expressè contraniti, cùm omnes prædiorum seruitutes ex æquo vnius naturæ sint, & eadem ratione, ijsdemq; temporibus omnes vsucapiantur.

29 Porrò † aduertendum est, iure Digestorum non fuisse acquisitioni tam rerum corporalium, quàm incorporalium, quæ ex temporis tractu proficiscitur, aliquod tempus præfinitum. Nam leges decem vel viginti annorum loco vtuntur huiusmodi verbis statuto, constituto, legitimo, præfinito tempore, solenni spatio, diuturna longæque possessione, & vetustate temporis, quæ omnia subinde certo tempote Imperatores legibus suis præfinierunt. l. fin. C. de vsucap. transfor. l. fina. C. de præscrip. long. temp. l. pen. C. de ser. & aqua. & alijs legib.

30 Dico † ergò seruitutes omnes acquiri tempore constituto & legitimo, hoc est, decem vel viginti annorum, si modò illis non vi, nec clam, nec precariò ab aduersario vsi fuerimus, hoc ampliùs, & absq; titulo l. si quis diuturno, in princip. ff. si serui. vindi. l. 2. C. de ser. & aq. Nec iuuant, aut aliquid mouent antiquorum suffragia asserentium leges illas agere de seruitutib. continuis, quia omnes ex æquo continuæ sunt & perpetuæ, vt suprà ostendimus.

Prætereà idem iuris esse in seruitutibus, quas ipsi discontinuas vocant, & eas decem vel viginti annorum lapsu possessioneque vsucapi & acquiri pluribus legum testimonijs euidenter ostendo. Primum petimus à l. 1. §. final. ff. de aq. plu. arcen. Sanè (inquit ad verbum lex illa) in seruitutibus hoc idem sequimur, vt vbi seruitus non inuenitur imposita, qui diu vsus est seruitute, neq; vi, nc-

vi, neq; clàm, neq; precariò habuisse longa consuetudine velut iure impositam seruitutem videatur. Paulò pòst sequitur, eritq; ista quasi seruitus, in quam rem vtilem actionem habemus vel interdictum. Ecce lex illa omnes generaliter complectitur seruitutes, quæ diu & longa consuetudine acquiruntur, hoc est, decem vel viginti annis. Ita † enim exponuntur huiusmodi verba in d. l. 1. si quis diuturno. 31

Proindè miror Scriptores ad vnum omnes voluisse de tempore memoriam hominum excedat, eam legem facere mentionem. Atque eos longè falsos opinione sua arbitror. In ea enim nominatim tractat Vlpianus de seruitute, quam continuam vocant, vtputà seruitute fossæ vel aggerum, quæ secundùm eorum definitiones nō potest negari esse perindè continua, atque aquæductus, consequenterque decem vel viginti annorū præscriptioni subiecta. Veriùs ergò est illam l. 1. §. fina. loqui de longo tempore, de vetustate temporis decem vel viginti annorum, cùm eo sensu decem vel viginti annorum exponatur temporis vetustas in l. fi. eod. tit. de aq. plu. arcen.

Quòd si obijcias l. 2. §. 1. & §. idem Labeo, eo. tit. aliam suasisse interpretationem: aduerte pro † declaratiōe totius illius tituli & istius obiecti dissolutione, actionem aquæ pluuiæ arcendæ, competere vicino, quandocunque ab aqua pluuia propter opus manufactum aliò vicino damnum imminet. Siue agat inferior contra superiorem, qui aggeribus vel fossis factis naturalem cursum pluuiæ inhibet. l. 1. §. 1. & §. sed & fossas, eod. tit. siue agat superior contra inferiorem, qui aggerib. aut fossis agit, vt restagnet aqua in fundū superiorē, d. l. 1. §. item sciendū. His præcipuè casib. & causis 32

prodi-

prodita est,& competit actio pluuiæ arcendæ, nisi lege,hoc est,conuentione partium aliter actum sit. Si enim mihi aggerem vel fossam in meo facere concesseris, non poteris aquæ pluuiæ arcendæ actione contra me experiri.l.2.eod.tit.

Hoc ampliùs vetustas temporis obsistit agenti, hoc est, vsucapio huiusmodi seruitutis, vtpotè quia feci aggerem, & eo vsus sum tempore diuturno, quod pro lege, hoc est, conuentione partium accipiendum est d.l.2. eod. tit. Quòd si inter partes non vertatur controuersia super conuentione partium, vel præscriptione temporis, sed videam hodie aggerem in fundo vicini damnum mihi fundoq; meo nouum & insolens facere ex aqua pluuia,quid dicendum ? Et respondet I. C. tota illa l.2.agi posse, vt agger destruatur, si probetur hominum memoria manufactus.Si verò hominum memoria non existat, aggerem fuisse manufactum, & sic censeatur agger ille esse naturalis,non poterit agi vt destruatur, cùm propter opus manufactum, non autem naturale actio illa competat.l.1.§.in summa,eoo.tit.

Itaque l.2.§.1.& §.idem Labeo, nullam omninò vsucapionem, quam immemorialem vocant, facit mentionem, sed de modo probandi, aggerem vel fossam manufactos fuisse memoriam extare. Modum verò probandi memoriam non extare explicat l.si arbiter,in fin.ff.de probat.

33 Eandem † normam probandi, num vicinalis via sit publica vel priuata, tradit l.vlti. ff.de loc. & itine. public. Nam si memoria hominum existat, vicinalem viam ex collatione priuatorum, & eorum voluntate fuisse constitutam, censenda erit priuata l.2.§.viarum. ff.ne quid in loc.publi. Si verò memoria hominum non existat ex

agris

agris priuatorum collatis eam confectam, publicæ viæ nomen & appellationem habebit d.l.vltim.

In id † genus incidit probatio agri memoria hominum ante hodie culti vel inculti ad hoc, vt no- 34
ualis necné censeatur. De qua Innocen. in c.quid per nouale.& c.veniens, extr.de verb.sig. Spec.in tit.de probat.§.1.verf.vltimò quæritur.

Sed redeo † ad l. .§.fin. ff.de aq.plu.arcen. quæ 35
in eo iudicio probat euidenter omnes seruitutes vsucapi decem vel viginti annorum spatio, & longam possessionem pro titulo in eis accipi. Idē probat & l.1.C.de seruit.& aq. in verbis, is qui iudex est. longi temporis consuetudinem vicē seruitutis obtinere sciet.

Tertiò hoc palàm est, & probatur expressim in seruitute itineris, quam discontinuam Doctores fabricati sunt, à lege apparet.§.pen. ff.de iti.actuque priua. † constat enim eum solùm posse effica- 36
citer agere interdicto de itinere reficiēdo, qui habet ius itineris.l.4.§.hoc interdicto.ff.de iti.actuque priua. In illa autem l. apparet. sic proditum est. Si quis seruitutem iure impositam non habeat, habeat autem velut longæ possessionis prærogatiuam, ex eo, quòd diu non vi, non clam, non præcariò vsus est seruitute, hoc interdicto vti potest. Ecce habes illā l.de itineris seruitute (quam discontinuam vocant) tractantem, quæ si non fuerit imposita iure, hoc est, secundùm ius, vtputà ex conuentione partium, aut alijs modis, quibus constituitur seruitus.l.via.ff.de seruit. tamen per longæ possess. prærogatiuam & diuturnam quasi possess. acquiratur. Certè non video, quin illa l. probet seruitutem itineris eodem modo vsucapi, quo aquæductum l.si quis diuturno.

37 Quarti † testimoeij loco erunt nobis l. si ego. §. 1. ff. de publ. in rem actio. & l. fina. ad fin. C. de præscript. longi tempo. ad quos Paul. Castren. in d. l. seruitutes. ff. de seruitut. respondit, præscriptioni decem vel viginti annorum in seruitatibus discontinuis locum esse, quando à tertiò præscribens habet causam & titulum: & eum sequuntur Ias. in l. 1. in princip. ff. de acq. possess. Franc. Bald. in tracta præscriptionum. At ea rẽsponsio, mea sententia, coarctat & nimium angustis limitibus, Imperatoris generalem constitutionem includit, quæ omnibus seruitutibus absq; vllo discrimine, æqualem & parem tribuit vsucapiendi conditionem. Prætereà d. l. si ego. †. 1. decidit eum, qui per domum suam passus est aquæductũ transduci, publicianum possessori seruitutis parere: Ergò circa titulum longo tempore vsucapi potest seruitus. Si enim titulus à domino qui patitur, procederet ad vendicationem per confessoriam, non autem ad Publicianam recurrendum esset. Non inficiabor titulum ab alio emanantem, ad hoc prodesse, vt bonam fidem habere videaris, quæ ex necessaria in seruitutibus vsucapiendis, vt infrà dicemus. At titulum esse necessarium vt seruitus, quæ ab eis discontinua dicitur, longo tempore capiatur vsu, hoc inferiùs omninò negabimus.

Quintum accedat argumentum à loco speciali, quo vtitur l. 1. ff. ad municip. † Expeditum est
38 ius sepulchri in nullius esse bonis. §. nullius, Instit. de rerum diuisio atque eo nomine non possideri nec vsucapi. §. sed aliquándo. Instit. de vsuca. Quo fit, vt specialiter scribat I.C. in l. longa. ff. de mor. inferen. longam possessionem sepulchri ius nullum tribuere, innuens ius commune aliter se

habere & longam possess. iuris, quod in hominũ commercio esse potest, tribuere ius quod iure nõ competeret.

Reliquum est, vt ad leges quę fortiter pugnant pro communi opinione, & generaliter volunt, in seruitutibus prædiorum vsucapionem cessare: respondeamus nimirùm ad d.l.seruitutes.4.ad l.si aliena. §.hoc iure. & l.sequitur.§.fi. ff.de vsucap. quod minimo negotio fieri potest. † Constat e- 39
nim, omnes seruitutes tanquàm res incorporales, & non habentes certam continuamque possessionem non vsucapi. Non enim in seruitutibus cedit possessio consequenter, nec vsucapio. l.seruus.§.incorporales. ff.de acq.rer.domin. Veruntamen quasi vsucapiuntur, cùm in eis cadat quasi possessio & sic quasi vsucapio. Hoc mihi inculcant d.l.si quis diuturno. in verbis, quasi possessione.& d.l.apparet.§.penul.in verbis, velut longæ possess. prærogatiuam, &c. Nec hanc ad suprà allegatas leges responsionẽ debemus respuere, cùm admittatur à Docto. in seruitutibus, quas continuas vocant. Illas enim incorporeas esse, nec possessionem, nec vsucapionem recipere manifestũ est, d.§.incorporales. Cæterùm eas quasi vsucapi concedendũ est, & est iuris non controuersi quidem, sed manifestissimi. l.1. C.de ser. & aq. Non enim arbitror approbandam Bartoli & aliorum diuinationem, qui putauerunt seruitutes discontinuas acquiri diutino tempore, dum allegetur earum promissio & stipulatio, quæ eo longo tempore præsumitur. l.cùm de in rem verso. ff.de vsur. Nam satiùs vtique fuerit, iuxta cum legibus allegare longam possess. quæ vicem legis, id est, pacti vel tituli obtinet, l.1.C.de seru.& aq. & ex qua descẽdit, vt dicatur quis velut iure impositã

ſeruitutem habere,d.l.1.§.fina. ff.de aq.plu.arcen.
Proinde verum eſt, ſeruitutes decennio vel vicen
nio quæſitas, quaſi ſeruitutes cenſeri, & pro eis
vtiles actiones, interdictaque competere ex le-
gibus ſuprà citatis

40 Hic † autem obiter mihi ſe offert ſcrupulus in
d.§.incorporales non intempeſtiuè explicandus.
Quid cauſæ ſit,libertatem ſeruitutum, quæ alio-
qui incorporalis eſt,verè & non quaſi vſucapi.d.l.
ſequitur.§.fin.ff.de vſucap. Dicas forſitan hoc li-
bertati, cui multa à iure ſpecialiter tribuuntur,
condonatum eſſe.

Ego potiùs credidi, reſpondendum, libnrta-
tem ſeruitutis ideò verò vſucapi, quia in huiuſ-
modi vſucapione interuenit vera poſſeſſio,atque
id maximè cum vſu libertas ſeruitutis vrbanæ ca-
pitur, cuius exemplum habemus in d.l.ſequitur.
§.fi.ſi enim ſeruitutem altiùs nō tollendi tibi de-
beam,ita demùm capiam vſu libertatē huius ſer-
uitutis,ſi altiùs ædificium meum ſuſtulero,ædifi-
catumque illud conſtituto tempore poſſedero.l.
hæc autem iura.ff.de ſer.vrba,præd. l. ſi quis alia.
ff.quemadmod.ſeruit.amitta. Ex qua vera altiùs
ſublati ædificij poſſeſſione naſcitur & vera vſuca
pio: hoc videtur ſentire l. ſeruitutes,quæ in ſu-
perficie.& l.ſi ædes meæ ſeruiant. §.libertas. ff.de
ſeruit.vrb.præd.

Accedat alia & tertia ratio, ideò libertatem o-
mnium ſeruitutum vſucapi verè, quòd huiuſmo-
di præſcriptio temporis nō principaliter ex poſ-
ſeſſione vſucapientis aut facto eius oritur, ſed ex
negligentia ignauiaque non vtentis. Quod & vi-
dere eſt in actionibus perſonalibus,quas verè ſta-
tuto tempre reſcribi, limitari, vel certis annorū
metis concludi, Imperatores conſtituerunt, tot.
tit.

tit. C. de præscrip. 30. annor. Item reorum accusationes 20. annorum silentio præscribit ait Iureconsultus in l. quamcunque. ff. de acq. reis. Ea enim præscriptio temporis, quæ personalibus actionibus accusationibusve opponitur, non ex facto præscribentis oritur, sed ex negligentia secordiaque eius, cui frustrà otioseque tempora dilabuntur. Barto. in l. sicut. C. de præscrip. 30. ann. in l. sequitur. §. si viam. ff. de vsucap. Itaque cùm longo vsu aliquid capimus, tũ requiritur possessio præscribentis. l. sine possess. ff. de vsuca. Verùm quando contra actionem, iusque tertio quæsitum nos præscriptione temporis vel libertate eximere & tueri volumus, tum facto nostro aut possessione aliqua non est opus: nam, quod est probatũ apud leges, quas sup. citauimus. Hæc obiter dicta sufficiant.

Secundò † ad d l. foramen. respondeo, seruitutes in illa lege enarratas, non posse prædio acquiri constituto tempore, quia cùm natura sui perpetuæ non sint, seruitutes reales esse nequeunt, quod nos in expositione noua d. l. foramen. suprà attigimus. 41

Tertiò ad † d. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aq. quotid. & æsti. (qua sola passim & vbique probari afferũt scriptores, seruitutem discontinuam immemoriali (quod vocant) tempore vsucapi, cùm tamen agatur in ea de aquæductu, qui secundùm eorum distinctionem est seruitus continua. Respondeo, legem illam locum habere, cùm aqua ex flumine publico ducitur, quod fieri non potest citra Principis auctoritatem. l. quominùs. ff. de flumine. l. 1. §. permittitur. ff. de aq. quotid. & æstiua. Quòd si ex priuati fundo duceretur certè statuto tempore & legitimo spatio vsucaperetur. d. l. si 42

quis diuturno.& d.l.2.C.de ser.& aq.Rursùm potes respondere, vt fateatur illam l.de aquæductu & fundo priuati agere. at non negat lex, eum vsucapi constituto tempore.Nec exposcit tempus, cuius origo memoriam excedat, sed si id ex abundanti interueniat vtiq; vsucaptum iri aquæductũ concedit, qui alioqui longo tempore acquiri poterat.

43 In summa † ergò concludendum iure existimo omnes seruitutes vsucapi certo & legitimo tempore, quod Imperatores suis Constitutionibus, non autem I.C. suis responsis definierunt.

44 Atque † ita redeundo ad limites & territorium nostræ iurisdictionis, vnde aliquantulum sed nō abs redigressi fuimus, arbitror hoc axioma vero; veriùs esse, iurisdictionem & merum imperium longo tempore vsucapi, licèt in ea sit opinione communis & maior Scriptorum schola, necessarium esse tempus, cuius origo memoriam hominum excedat.

45 Hanc † conclusionem ijs, quæ suprà attulimus, fundamentis firmatam puto non habere locum, quando agitur de iurisdictione aduersum Imperatorem vel alium summum Principem vsucapienda. Primùm me mouet, quòd Imperator est dominus totius mundi, quod ad protectionem iurisdictionemq; attinet.l.deprecatio.ff.ad l.Rhod. de iact. Bart.in 1.constit.Digest.in princ. Bald.in l.benè à Zeno.C.de quadrien.præscrip.Quo fit, vt iurisdictionem quod est præcipuum subiectionis argumeotum, nullo vnquam tempore cōtra eum quis vsucapere possit, arg. c.cùm non lice.extr.de præscript. Alioqui si cōntra Imperatorem possit vsucapi iurisdictio, posset paulatim desinere & labi imperium.Hoc Bald.in Auth.quas actiones.C. de sa-

de sacrosanct. eccles. Vbi consequenter subijcit, non posse præscriptione temporis effici, quo minùs Princeps à iudicibus inferiorum appelletur. Iuxta hoc etiam placet Panorm. in d. c. cùm nō liceat. neminem posse quacunque allegata præscriptione imperatoria se iurisdictione eximere, & iurisdictionem ita vsurpare, vt imperatoriam inficietur, & minimè recognoscat. Hoc quoq; iure vtimur in tota Gallia, vt nemo cōtra Christianissimum Regem vsucapere possit auctoritatem, quo minùs præsidibus prouinciarum à Rege constitutis, aut supremis eius curijs, quæ vice regia iurisdictionem exercent, subijciatur.

Secundò facit, quòd Imperator expressè nō potest concedere vt ab eius iurisdictione quis sit exemptus omninò & quodammodò Acephalus. Esset enim (vt dicit Bald. in procem. feud.) mutilare imperium, & illud decerpere, quòd à specie fatuitatis non longè abesset.

Vndè orta est illa antiqua disputatio, num valeat donatio, qua Constantinus Imperator Syluestro Papæ Ciuitatem Rom. cum omnimoda potestate & iurisdictione donauit, quā Bald. in d. procemio dicit, potiùs fuisse diuinitatis, quàm humanitatis. Tractat Barto. in l. constitut. Digestorum, gloss. in Authent. quomod. opor. episc. & cleri. & alijs in locis infinitis. Itaque cùm ex multis Itali fateantur, Imperatorem esse dominum Italiæ, non possunt quantumcunq; tempore se eximant aut tueantur, vel quocunq; priuilegio se muniāt, imperium aut iurisdictionem imperatoriam detrectare aut vsucœpisse.

Porrò † communiter receptum est, iurisdictionem quæ in alicuius loci specialis incolas venit exercenda, contra Imperatorē aut Regē Christi- 46

nissimum posse quadraginta annorum spatio, vt fundos Principis vsucapi.l.fin.de fun.patri. libr. 11.C.de leg.comperit.C.de præscrip.30.anno. aut saltem centum annorum, vel temporis quod memoriam hominum excedet, præscriptione acquiri,argumen.c.super quibusdam, extr.de verbo.signific. & d.l.hoc iure.§.ductus aquæ. Si enim Rex vel Imperator potest eam concedere, hic longissimi tractus temporis iure constituti, legitimæq; concessionis loco habebitur. Verùm hoc ita accipiendum est salua Imperatoris vel Regis suprema ditione & recognitione, quod & asserit Bald. in d.Auth.quas actiones.

Item hoc sanè rursum ita accipe,priuatim aliquem posse contra Principem, alicuius loci iurisdictionem vsucapere, modò loci illius dominus sit,ita vt iurisdictionem illam ex patrimonio sibi competere,prætexere & allegare posset. Ge-
47 neraliter † enim & regulariter hoc in Gallia obseruamus,vt iurisdictio quæ competit patrono in clientem eiusdemque subditos ratione fundi beneficiarij.Item domino in eos censuarij pensitationibus annuatim aut alias ei sunt obnoxij,patrimonialis esse dicatur: Ioan. Fab. in Authent. statuimus.C.de episcop & cleric. Atque eo nomine per Principem ordinaria potestate à nobis auelli non possit. Ea est quam Bartolus in l.inter eos. D.de acquiren.rer.domin. loco cohærere, eumque sequi voluit,& approbauimus suprà in secunda quæstione. At illa quæ ex patrimonio non descendit,cuiusmodi censenda est,quæ ciuitatibus, ciuitatumq; decurionib. competit in oppidanos, qui eorum neq; cliëtes sunt, aut aliâs ei obnoxij. item illa quæ collegijs licitis in sodales permittitur,& pleraq; alia quæ patrimonio nô adhærent, nullo

nullo vnquam tempore in necem principis vsucapi possunt. Et de huiusmodi iurisdictione facit mentionem Bald. in tit. de feud. March. in princi. in vsibus feud. vbi vult eam non minus posse separari à repub. vnde orta est, quàm radios solis ab ipso sole. Item in hac doctrina idem ipse Bald. in l. qui se patris. 8. colu. C. vnde liber. asseuerat expressè, principem posse iurisdictiones aliorum supprimere non solum singularium personarum, sed etiam ciuitatum. Quod si principi liberum est, & quotidie integrum abolere & reuocare iurisdictionem, quæ ex patrimonio non competit, multo magis non admittet, quam vsu te cœpisse dicas, & longissimo quamuis temporis lapsu, cōtra eum quæsiuisse. Hac distinctione putaui conciliandas decisiones supradictas, quæ an vera sit necne, pensitabis.

48 Aduersus † supradictam exceptionem obijcias fortasse, summum pontificem esse Imperatore & Regibus longè maiorem. Clem. pastoralis. de sent. & re iudic. Atqui contra eum centum annorum præscript. obijcitur. c. ad audientiam. ext. de præscript. At respondeo, vsucapi posse contra summum pontificem, tam iurisdicti. quàm aliam auctoritatem prophanam, non autem contra principem, quia si originem spectes, & primam caussam, nullum temporale ius aut prophanum erat apud summum Pontific. Primi enim illi archiflamines nihil possidebant, obseruabantque DEI & Apostolorum sententias: Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra. Item habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Item nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quod si temporale ius aliquod eis concessum fuerit, idipsum prin-

cipum beneficijs & Imperatorum liberalitate assecuti c.ego Constantinus.96.distinct. Propterea testatur Alber.in l.constitu.& in Authent.statuimus.C.de Episc.& cler.summum Pontifi.in spiritualibus esse omnibus superiorem, in prophanis autem & temporalibus (vt vocant) negotijs præferri Imperatorem, qui rebus ad summos Pontif. spectantibus ius & legem dicere solet: quod legimus in Authent.vt eccl.Rom. in Authē.quomod. opor.episcopo.in d.Authē.quas actiones. In quibus & infinitis alijs videmus principem de rebus Ecclesiarum legem scribere & plenè disponere. Illud autem verum esse contenderim iurisdictionem, quam vocant spiritualem, contra Ro.pont. vsucapi non posse sicuti in Imperatore quod ad iurisdictionem temporalem attinet, ostendimus. Et hoc tenuit Innoc.in c.bonæ 2.in 1.col.ver.scu. Papa autem, quia circa spirituale. ext.de postul. prçla.Abb.in d.c.ad audientiam,& Bal.in Authē. quas actiones.

SVMMARIA.

1 *Iurisdictionem seruitutesq; omnes posse vsucapi ignorante etiam aduersario.*

2 *Seruitutes constitui per traditionem vel patientiā. & nu.5.*

3 *Patientiam, quæ in seruitutibus traditionis loco habetur nullam inferre seu præsupponere scientiam.*

4 *Traditio vel patientia quomodo cadat in seruitutibus.*

6 *Iurisdictio an possit vsucapi ab eo, qui nec castellū habet nec territorium & nu. 8.*

7 *Iurisdictionem consistere posse sine territorio.*

9 Vsuca-

9 *Vsucapionem seruitutis egere bonam fidem vsucapientis.*

10 *Clam aliquid facere quis dicatur, atque inibi quod clam possidere & mala fide possidere sint synonima.*

11 *Præscriptionem triginta annorum procedere citra bonam fidem in iuribus incorporalibus, non secus ac in rebus soli.*

12 *Vsucapionem processisse bona fide, quis probare debeat. & nu seq & 15.*

14 *Clam possidere aliquem affirmans quid probare debeat.*

16 *Seruitutem non aliter vsucapi posse, quàm si is, qui ea vtitur, existimet id se suo iure facere.*

17 *Iurisdictio an possit citra titulum vsucapi, & quid de reliquis iuribus, puta seruitutibus. & num. seq. & 20.*

19 *Intellectus ad l. si ego. §. 1. ff. de publ. in rem actione.*

HACTENVS de tempore ad iurisdictionis vsucapionem necessario, nunc ad aliud & secundum transeamus, quod ad hanc vsucapionem Doctores omnes desiderant. Nimirum aduersarij scientiam, contra quem obijcitur temporis præscriptio. Aiunt enim quasi possessionem eius iuris per patientiam acquiri & retineri. l. quoties via. ff. de seruit. quæ patientia ita demum contingit, si sit scientia: atque ideo non interueniente scientia aduersarij, nullam iuris istius possessionem haberi posse causantur. Citāt præterea l. 2. in verb. sciente. C. de seruit. & aqua.

Cui

Cui adde l. si à te emero. ff. si seruit. vendicetur. Huic conclusioni neminem hactenus audiui qui renitatur aut contradicat. Quinimo hoc pro comperto certaque lege omnes habent in omnium seruitutum iuriumque incorporalium possessione acquirenda & vsucapione perficiunda requiri scientiam eius, cui opponitur vsucapio. Hoc passim testantur scriptores in d.l.2. C.de serui.& aq.in seruitutes. 4.ff.de serui.in c.de quarta.extr. de præscript.& alijs locis vulgaribus.

1 Puto † autem præter omnem scientiam iurisdictionem atque omnes seruitutes vel aduersario ignorante vsucapi.

Hoc probatur apud l.quoties 2.ff.de seruit.vbi ad possess.seruitutis consequendam solus requiritur ipsius vsus,qui pro possessione habetur,nec illa lex ad possessionem acquirendam considerat aut exigit scientiam aduersarij, licet patientiam deberi fateatur ab eo quo debet seruitutē. l.quoties. 1. §. fin. ff.eod.titul.de serui.Item solo vsu retinetur seruitus l. vsu. ff. quemadmod. seruit amitt.Rursum probatur à l.1. §.1.ff.de itin.actuque priua.Nam vt interdictio de itinere actuque priuato experiundi potestatem quis habeat, solum inspicitur,an vsus sit seruitute itineris.Quinimò eo loci tenet Bartol.in versic.alterius quæro.non requiri sciētiam vt adipiscatur. Verùm dum ibidem adijcit & opinatur ad vsucapionem requiri scientiam,non autem vt intentari possit illud interdictum,hoc sanè parum vel nihil (vt opinor) habet rationis & loquitur Bartol.cont.l.fin. eod. titul.quæ vult ita demum interdictum illud competere. si quis ius seruitutis possideat. Denique certum est vsum seruitutis nihil quam ipsius possession.& possess.nihil quàm vsum significare d.l. quoties.

quoties. ff. de seruit. Adde quod pro hac nostra opinione stat firmiter. l. fin. ad fin. C. de præscrip. longi. temp. Vbi enim Imperator decreuit in vsucapione rerum soli scientiam aut ignorantiam domini non esse spectandam, subijcit idem iuris esse in vsufructu & cæteris seruitutibus. Non omittam quod Paulus Castrensis in d. l. seruitutes. 4. respondit, illam legem procedere, quando quis à tertio causam & titulum haberet. Quo casu fatetur seruitutes omnes decennio vel vicennio atque adeo insciente domino vsucapi. At hoc responsum iuxta nobiscum innuit imprudente domino seruitutis possessio acquiri. Esto enim quòd adsit titulus, non tamen citra possessionem consisteret vsucapio. Præterea si hæc Pauli opinio nobis non probatur in tempore ad vsucapionem necessario nec hic ratam habemus, iuxta ea quæ illic à nobis prodita sunt.

Superest vt ad l. 2. C. de seruitut. & aq. qua sola fulcitur communis iurisperitorium consensus respondeamus. At quam Hugo in gloss. censet & rectè quidem meo iudicio, subaudiendum hoc verbum maximè. Nam licet in ea habeantur hæc verba (eo sciente) tamen hoc vsu sæpè venire videmus, vt multæ leges exprimant, quæ ad sui dispositionem non sunt necessaria, & quæ de sciente plerunque loquuntur, in ignorante etiam sibi locum vendicant. gl. in l. cum à matre. C. de rei vend. Verum adhuc aduersum hanc nostrã sententiam pugnabitur fortiter vno argumento.

† Certum est, seruitutes constitui per traditionem vel patientiam l. si ego. §. 1. ff. de publi. l. 1. ff. de serui. rusti. præd. Quod si ita est, qui fieri potest vt traditio vel patientia interueniat sine scientia? Dico † & respondeo patientiam, quæ loco 2
3
tradi-

traditionis habetur in seruitutibus nullam inferre vel exprimere sententiam. Etenim in hac doctrina qui non impedit dicitur pati, & per illam patientiam, vel (vt ita dicam) non impedimentum cum vsu, acquiritur possessio seruitutis. l. & si fortè. §. 1. ff. si seruit. vendi. Si enim me ædificare volentem impedieris, vel per confessoriam actionem vel per interdictũ, aut lapilli iactum, possessor esse censeberis. Si verò te non impediente, nec controuersiam aliquam mouente, & sic te licet ignores altius ædificauero, possessor ero. Lex illa meo iudicio liquidò probat, possess. seruitutis ideo acquiri, quia non impedis, sed pateris me vti seruitute. Ex quo etiam liquidò constat patientiam necessariò, non habere comitem scientiam, sed hoc valere, vt pati dicatur qui non impedit, quemadmodum eum consentire plerumque dicimus, qui non dissentit. l. 2. §. voluntatem. ff. solut. matrim. Accedat quod ille qui debet seruitutem, simul debet patientiam d. l. quoties. 1. §. 2. ff. de seruit. At non contendemus ea causa illum debere scientiam, nec contra illum agamus, vt patiatur & sciat nos vti seruitute, sed solum vt patiatur, hoc est, non impediat. Itaque quamquam omnes ad vnum interpretes asseuerent, per patientiam & scientiam aduersarij acquiri seruitutis quasi possessionem, ego contra veritate ipsa hoc axioma verius existimo per solum vsum patiente, hoc est, non impediente, aduersario eam acquiri. d. l. & si fortè. §. 1. d. l. quoties. 1. §. final. & l. quoties. 2. ff. de seruituti. Sic vsucapiuntur seruitutes contra aduersarium ignorãtem, patientem tamen alium vti seruitute. d. l. fin. ad fi. C. de præscript. longi tempo. Idem & de iuribus persona-
libus

libus dicendum esse censeo. Nam quasi possessionem conferendi sacerdotia, eligendi, præsentandi, & similium assequimur collatione, electione, præsentatione non reclamantibus, nec cõtrouersiam aliquam mouentibus aduersarijs per nos factæ. c. cum olim. extr. de restit. spol. Quod si dicas post Innocẽt. in c. bonæ 2. extr. de postul. prælato. Abb. in c. 2. ext. de rest. in integ. eundem in c. cum ecclesia sutrina, ext. de cau. poss. & proprie Ad acquirendam supradictorum quasi poss. requiri scientiam aduersarij hoc nullo canone probare contẽderim, sed solum desiderari, nec reluctetur aut reclamet aduersarius. d. c. cùm olim. Hic † autem 4
obiter occurrit nodus apud scriptores apprimè difficilis explicandus in quo mirum est quantum seipsos ad anxietatem vsq; crucient. in l. 2. §. & harum. ff. de verb. oblig. & in l. 3. in prin. ff. de acqui. possess. Quęstio est, quomodo in seruitutibus, quę sunt incorporales cadat traditio vel patientia, quæ pro traditione habetur. d. l. si ego. §. 1. & d. l. 1. ff. de serui. rust. præd. Ego hunc breuibus & præter omnium opinionẽ facillimè explico, & dico, in seruitutibus tam personalibus q̃ realibus cadere verã traditionem non intelligo iuris vel seruitutis, sed fundi vel loci. In seruitutibus enim personalibus veluti in vsufructu, dominus inducit fructuariũ in fundũ. Quòd si nõ inducat sed citra traditionẽ patiatur eum vti, frui, hæc patientia p vera traditiõe fundi reputatur: hoc ad verbũ expri. l. 3. §. dare. ff. de vsufr. & quead. In seruit. verò realibus determinatur locus, per quem fit seruitus, aut si non assignatur, interuenit patientia. d. l. si ego. §. 1. Planè hæc destinatio loci nonnunquam est necessaria. Nã si tibi donauero itineris vel aquæductus seruitutem per fundum meum, statim

ſtatim quælibet agri mei pars debet ſeruitutem; quæ ita diffuſa eſt, vt omnes glæbæ ſeruiant, donec determinetur locus, per quem iter dirigere, vel aquam ducere debeat, quo deſignato, cæteræ partes agri liberabuntur, nec poſtea integrũ erit, aliò iter vel aquæductum transferre. l. certo generi. §. fin. l. ſi mihi conceſſeris. ff. de ſeruit. ruſticorum prædiorum. & l. ſi cui. ff. de ſeruit. Ad eam autem hac vel illac deſignandam ſæpè recurritur ad iudicem vel arbitrum, qui ſeruitutem parte commodiore, & cum minore ſeruientis fundi detrimento, determinet d. l. certo generi. §. fin. Adde quod hæc traditio fundi vel loci determinatio aut patientia, quæ loco traditionis & aſſignationis habetur, multas in promptu habet vtilitates.
5 † Nam ante traditionem vel patientiam non habeo dominium iuris, neque dicitur vſusfructus conſtitutus aut ſeruitus conſtituta vel acquiſita fundo, atque ita ſola actio perſonalis ad conſtituendum vſumfructum vel ſeruitutem competit, quæ contra eum qui promiſit ad triginta annos perpetuatur. l. ſi in partem. ff. quemadmod. ſeruit. amitt. l. itinere. ff. de ſeruit. ruſt. præd. notatur in l. corruptionem. C. de vſufructu. Et hoc in vſufructu tenet Paul. Caſtrẽ. in d. l. corruptionem. & in l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis ita. ff. de verb. obligat. Poſt traditionem verò fundi vel loci deſtinationem, aut patientiam, quæ eſt quod ſe non impediente vtor fundo, vel aſſumo mihi locũ ſeruitutis, & ea vtor, iuris dominium in me trãsfertur, pro quo confeſſoriam contra quemlibet impedientem intentare mihi liberum eſt; vel Publicianam, ſi à non domino fuerit conſtituta d. l. ſi eſſe. §. 1. Atque ſic cuiuſmodi iura per decẽ vel viginti annorum ceſſationem aut non vſum deperdun-

duntur, d.l. si partem, d.l. corruptionem. & l.pen. C. de seruit. & aqua. Item in vsufructu priùs quàm tradideris fundum, vel passus fueris me vti, frui, non dico fundum possidere naturaliter. Nec si vi armata à tertio impediar, potero, intentare interdictum vnde vi, cùm à poss. fundi quam per traditionem vel patientiam consequi debeo, non sim deiectus, l.3.§.vti frui.ff.de vi & vi arma.

Aliam vtilitatem habemus, quòd ante traditionem vel patientiam, si vendidero fundum vnde promissa est seruitus, non sequetur emptorem fundi illa nondum constituta nec prædia quæsita, quòd ad eam constituendam solùm competat actio personalis, quæ contra singularem successorem non serpit, l.fi.ff.de contrah. empt. & vendit. Diuersa autem causa est cùm per traditionem vel patientiam seruitus extat constituta. Hic enim ad emptorem cum fundo migrabit, l.si sub vna.§.si et l.plurib.§.fi.ff.de verb.oblig.

Itaque clarè explica in vsufructu & alijs seruitutibus cadere verã & realem traditionem fundi, vel loci vel patiẽtiam, quæ pro traditione est. Nam plerunque in seruitutibus realibus nõ opus est aliqua loci destinatione, eo fortè quod in fundo seruiente certum est iter, & alteri iam designatum, l.qui per certum.ff.commu. prædio. l.Lucio. ff.de aq.quotid.& æsti. Vnde cedendo seruitutem itineris per fundum meum, & patiẽdo te per eundem locum ire, perinde est ac si tradidissem & nominassem certum finitumq; locum, per quem debeas iter dirigere. Hæc obiter. Sequitur tertium, quod nonnulli scriptores aiunt necessarium ad iurisdictionis vsucapionem, quos sequitur Iaco. hîc 8.colum.versi.2.limita. † Nimirum vsucapionem habere castellum vel territorium. Quæ con- 6

clusio planè nulla lege aut ratione fundari mihi videtur. Quippe quid vetat quempiam nullum habentem castellum vel territorium ad aliquem locum accedere, atque ibi iurisdictionem contra tertium statuto tempore] vsucapere? Dices hoc ipso quod vsucapiet iurisdict. vsucapiet & terri-
7 torium, hoc certè plana fronte negauerim † Iurisdictionem enim sine territorio, consistere manifestum est ex Iudicibus datis ad certarum personarum causas nulla domicilij, territorij habita ratione. Cuiusmodi videmus in Gallia esse iudices à magistris militum constitutos (quos vulgò Marescallorum præpositos vocamus.) Illis enim per constitutiones regias in vagabundos iurisdictio concessa est, quæ nec artis limitibus nec territorio plerunque circunscribitur. Quòd si Sempronius legitimo tempore & solenni spatio iurisdictionem illã Titio non impediente,& à rege huiusmodi dignitate donato exercuerit, nónne vsu contra Titium cœpisse eam iudicabitur? Nõ certè video quid obesse possit huic vsucapioni. Cæterũ huiusmodi iudex potest sine castello esse vel territorio. Adde quòd in regno Franciæ Archiepiscopi ac alij iudices vel optimates Ecclesiastici iurisdictionem in clericos exercent, nullam tamen subinde illis territorium cõpetere existimamus. Quò fit vt clericos prehendendi aut incarcerandi ius non habeant, nisi pro tribunalibus suis & in ipso iudiciorum loco, eos deprehenderint. Quòd si alicubi id fecerint, & appelletur Senatus, hoc iure vtimur eiusmodi pręhensionem veluti extra territorium attentam abusui obnoxiam cẽseri, & arresto pronunciari. Quinetiam apud canones Romanor. Pontificum nusquàm legi crediderim, territorium Episcopi attribui & concedi, sed dioece-

diœceses, hoc est, dispersas multorum habitationes. Adde sacerdotibus dari parochias, id est, continuas & vicinas multorum habitationes vel parochias, ἀπὸ τῶ παρέχομαι. Quibus verbis datur intelligi magnatib⁹ Ecclesiasticis iurisdictionem concedi, non quidem in territorio, sed in clericos, aliosve habitatiunculis suis commorantes.
† Atqui huiusmodi iurisdictionem quæ sine territorio est, Episcopos, Archidiaconos atque omnes 8
ecclesiasticas dignitates inuicem alterum ab altero vsucapere iure receptum est, c. cùm olim. 2. ext. de restit. spolia.

Quartum ad iurisdictionis vsucapionem necessarium tradunt Dd. vt adsit bona fides. In quo articulo facilè eis assentior. † Nam ad vsucapienda 9
omnia prædiorum iura, ex æquo bonam fidem exigimus, hoc est, quòd non vi, nec clàm, nec precariò quis illorũ vsum nanciscatur, d. l. si quis diuturno. in prin. & d. l. 1. & 2. C. de seruit. & aq. Quòd si malam fidem in vsu & exercitio iurisdictionis habeas, clàm censeberis eam vsurpare. † Clàm e- 10
nim dicitur quis aliquid facere, quandò putat dominum, si sciet, prohibiturum, l. 3. §. fi. quòd vi aut clàm. l. clàm possidere. in princ. ff. de acquir. poss. Quin etiam gloss. illic in verbo, bona fide, quam vulgò sequuntur & probant nostri interpretes, censet hæc verba, clàm possidere & mala fide possidere esse synonima, idemque significare. Adde glo. in l. 1. §. planè. vers. sufficit, in verbo iure. ff. de aqua quotid. & æstiu. quæ opinatur & sentit, eum bona fide vti seruitute, qui nec vi, nec clàm, nec precariò eam possidet.

Intellige planè necessariam esse bonam fidem, quandò decennio vel vicennio quispiam

11 hæc iura prætendit vsucapere. † Quòd si præscriptionem triginta annorum alleget, non desiderabitur in ea specie bona fides, sicuti nec in dominio rerum soli corporaliumve vsucapiendo, l.sicut. & l. omnes.C.de præscriptione.triginta annorum.Et hoc tenet Paul.Castren. in d.l. seruitutes.4.de seruitutib. post Cynus in l.2.C.de seruit. & aqua. Itaque si iurisdictio clàm ab aliquo exerceatur & non bona fide non habebit locum præscriptio decem vel viginti annorum, sed hîc tricennale spatium exigetur.

12 Hîc † obiter incurrit alia quæstio tractanda cui incumbat fidei probatio.Doctores passim Bartolus putà in l.1.§.hoc interdicto.ff.de itine.actuque priuato. Bald.& alij in l.3.C.de ser.& aqua,& in c.bonæ.ext.de postulatione præla. ac infinitis alijs locis, quæ fastidiosum esset citare & enumerare, existimãt bonam fidem ab eo debere probari, qui in possessione seruitutis se esse contendit, atque id potissimùm duobus argumentis. Priore, quòd d.l.si quis diuturno.in princip.hoc expressè dictare videtur, nimirum eum qui allegat seruitutem se longo vsu actum fuisse,debere ostendere se tot annos non vi, non clàm, nec precariò eam possedisse.

Secundò quòd à iure omnis fundus liber esse præsumatur, l.altius.C.de seruit.& aq. Atque eo nomine incumbere probationem asserẽti aliquid contra ius commune, regulam generalem, naturalemque causam secundùm Barto.in d.l.quoties. ff. si quis cautio. Hîc addunt, eam bonam fidem, quod quis nec vi,nec clàm, nec precariò possederit,non posse directò pleneque probari cùm negantis nulla sit probatio,sed per indicia & coniecturas,vtpotè quia possidens ostendit titulum inuali-

ualidum possessionem authoris sui, famam à fide dignis ortam, & alia istis similia, ex quibus verisimile sit & conijciendum, existimasse eum, meritò sibi seruitutem competere.

Sanè † hæc Doctorum receptior opinio mihi 13
probabilis non videtur, quin summa ratio facit, vt Dyn. rectiùs in hoc proposito, quàm cęteros indicâsse putamus, quippe qui voluit, possessionis legitimæ duntaxat probationē actori incumbere, non autem iudiciorum et coniecturarũ, ex quibus eliciatur bona fides. Nec communem opinionem firmat d. l. si quis diuturno, cùm ad probationem possessionis actorem astringat, nō autem qualitatum possessioni adiectarum. Simile videmus in interdicto retinendæ possessionis. Prætor enim edicto tuetur eum in possess. qui hoc anno non vi, nec clàm, nec precariò fundum possedit. Item alio æquè & sub eisdem verbis eum, qui hoc anno itinere vsus est, l. 1. in princip. ff. vti possidetis. & l. prima in principio, ff. de itinere actuque priuato. Atqui agente interdicto retinendæ possessionis incumbit duntaxat probatio possessionis, non autem qualitatum in eo edicto comprehensarum. l. si duo. in princ. ff. vti poss. & notat Ioan. Fab. in §. retinendæ. versi. sed quæritur nunquid agens. Instit. de interdictis.

Prætereà quis neget asserentem me vi vel precariò possidere, debere vim vel precarium probare, l. ei incumbit. ff. de probat. Absurdum sanè nec iuri consonum mihi videtur, vt qui dicit se non vi nec precariò possidere, probare debeat, quippe qui id ad probationem negationis contra 14
ius naturamque astringeretur. Consequenter † æquè dicendum est in eo, qui dicit alium clàm possidere, vt probare debeat denuntiationem,

prohibitionem, cæteraque illis similia, ex quibus clàm possidere quis præsumitur, alias in d.l. si quis diuturno. ista verba nec vi, nec clàm, nec precariò inęqualiter determinarentur: quòd esset incongruens, & cõtra regulam vulgatã quæ traditur in l. iam hoc iure. ff. de vulg. & pupil. subst. & in l. fi. C. de senten. & interloc. om. iud.

15 Dictum † est, quemlibet fundum præsumi liberũ. At verò alia præsumptio iuris est & fortior, neminem videri mala fide aliquid agere, te nõ impediente vel non reclamante, cùm mala fides, quæ debito proxima est, non præsumatur, l. meritò. ff. pro socio. Adde quòd in possidente res corporeas æquè præsumitur bona fides, l. penult. C. de euict. & tenet Bart. in l. Celsus. ff. de vsucap. Istam etiam opinionẽ sequitur vsus populi, & praxis quotidiana, quę est optima legum interpres, l. si de interpretatione. cum l. seq. ff. de legib. Nam qui hoc anno fundo vel seruitute non controuersis vsum se fuisse probat, hoc ipso possessionem iudicatur adeptus, & in interdicto possessorio vincit. Quòd si vi, clàm vel precariò possedisse allegetur, hoc excipiendi & asserenti probare necessum est, non autem possidenti. Itaque concludendum magis existimo, bonam fidem præsumi in possidente iurisdictionem, aliaque iura incorporalia nisi contra probetur ex denuntiatione, testatione, prohibitione, alijsque causis, quas enumerat Bar. in d. l. Celsus.

Quintum ad vsucapionem iurisdictionem necessarium excerpimus ex legibus & Doctorum

16 commentarijs. Nimirùm † vt ea quis vtatur tanquàm sua, & existimans id se suo iure facere. Hoc autem aliud est & longè diuersum à superiore & proximè præcedenti articulo, atque ea veluti dissimilia

ſimilia cenſet & reputat, gloſſ. in l. 1. §. planè. verſi. ſufficit. in verbo iure. ff. de aqu. quotid. & æſtiu. Plerumque enim quiſpiam vtitur ſeruitute bona fide, non vi, non clàm, nec precariò, non tamen exiſtimat id ſe ſuo iure facere, quòd vbi accidit, ille nec vſucapit, nec poſſeſſionem aliquam per eũ vſum acquirit. Pone exemplum in eo qui propter incõmoditatem riui, aut proptereà quia via publica interrupta erat, per confinem agrum frequenter iter fecerit, ille enim non videtur vſus ſeruitute tanquàm ſua atq; ideò non poſſidet, neq; vſu capit, l. 1. §. Iulianus rectè ait. ff. de itinere actuque priua. l. 1. §. Ariſto. ff. de aq. quotid. & æſti. l. fina. ff. quemad. ſeru. amit. facit l. fi. ff. de itinere actuq; priua. quæ facit mentionẽ de eo, qui nec vi, nec clàm, nec precariò commeauit per fundum vicini, nõ tamen tanquàm id ſuo iure faceret.

Hinc Paul. Caſtren. in d. l. fi. ff. quemadmod. ſeruit. amit. teſtatur eum, qui per fundum vicini commeauit eo tempore, quòd memoriam hominum excedit, exiſtimans viam eſſe publicam, ius eundi vſu non capere, nec interdictum poſſe efficaciter intentare. Atque ſi quis iuriſdictionem longo tempore exercuerit pro abſente, infirmo, aut alias nõ exiſtimans ſuo iure id ſe facere, ſibique licere, neutiquàm vſu eam capiet aut interdictum pro ea intentabit. Oportet enim ſuo iure ſe putare vti & non vi, nec clàm, nec precariò, d. l. 1. §. planè. verſi. ſufficit. Sequitur ſextum ad iuriſdictionis vſucapionem neceſſarium, quod colligo ex notatis per Pau. Caſt. in d. l. ſeruitutes. 4. Nempè † vt adſit titulus, alioqui citra titulum ad eam vſucapionem anni 30. deſiderabantur. Generaliter autem ipſe opinatur omnia iura perſonalia, cuiuſmodi ſunt vſus, vſusfructus, iuriſd. & his ſimilia, vſucapio

cum tit. & bona fide, decem vel viginti annorum ſpatio, l.fin.C.de præſcript.long.temp.l.ſi ego.§.1. ff.de publi.Seruitutes verò reales dummodò continuæ ſint etiam ſine tit.d.l.ſi quis diuturno. Quod diſcrimen inter iura prædijs & perſonis debita tradidit Cyn. in l.2.C.de ſeruit.& aqu. & probat. Abb.in c.de quarta.penul.colum.ext.de præſcrip. ſed hoc aduerſatur receptiori Doctorum in hac doctrina ſentētię, qui volunt, iuriſdictionē inſtar ſeruitutis, quam diſcontinuam dicunt, eo tempore ſolùm acquiri, quòd memoriam hominū tranſ-
18 cendat. Verùm † vtcunque ſit quandò ſuprà tenuimus iuriſdictionem vſucapi decennio aut vicennio, vel ſine titulo, modò non vi, non clàm, nec precariò quis eam exerceat, ſed bona fide, & exiſtimans id ſe ſuo iure facere, atque eo tempore capi vſu ſeruitutes omnes nullo earum habito diſcrimine, vel ſine titulo docuimus, puto me non vana nec iura reproba dicturum, ſi contendero ad omnia iura perſonalia vſucapienda non opus eſſe iuſto & legitimo titulo. Nec aduerſatur huic noſtræ opinioni, l.fina.C.de præſcript. long.tempo. quia in ea non quæritur aut fit mentio de titulo ſed de tribus, quæ recitat Imperator in princ. ſuæ Conſtitutionis. Prætereà pars vltima illius legis mixtim & confusè loquitur de ſeruitutibus realib.& perſonalib. quas eodem iure cenſere exiſtimatur, atqui in realibus non requiritur titulus, d.l.ſi quis diuturno. ergo nec in perſona-
19 libus. Nihil obſtat † d.l.ſi ego.§.1.quia titulū adeſſe ad vſucapionem ſeruitutis I.C. in illa lege non exigit, quin potiùs contrarium probat & decidit: Publicianam videlicet pro ſeruitute competere, ſiue à nō domino fundi ſeruientis fuerit per traditioeem cōſtituta (nec enim traditio domino fundi qua-

di quadraret vt Publiciana competat, sed cõfessoria) siue dominus aliquem, qui titulo non innititur, ea vti passus fuerit, quæ patientia nemini conuenit, præterquam domino. Atq; ita intellige præter glossam. in verb. suam, locum illum in vero domino, qui non constituit nec tradidit seruitutem, sed tantùm passus est per domum suam aquæductum transduci. Primum enim I.C. explicat de seruitute constituta à tertio per traditionem, in qua inest iustus titulus, ab alio quàm à domino fundi seruientis emanans. Deinde seruitute quam tolerat & patitur dominus, in qua non adest titulus. Vtraque enim vsucapiendi conditio & potestas innascitur, vt suprà docuimus, ergo & Publiciana contra tertium competit. Siquidem regulare est, eum, qui vsucapere potest, posse & Publicianam efficaciter intendere, l. eum qui, in prin. ff. de Publi. Iudicio meo lex illa probat seruitutes tam vrbanas quàm rusticas citra vllum discrimen vsucapi sine titulo, quia si titulus adesset cum patientia domini, frustra fieret mentio de vsucapione, nec daretur Publiciana, sed rei vendicatio confessoria contra quemlibet impedientem.

Omnia autem iura, eo, quo diximus tempore, & absque † titulo vsucapit, suadet & vult potissimum vna ratio, quòd iura personalia, annua vel menstrua eo tempore acquiri, vel circa titulum. l. cùm de in rem verso, ff. de vsur. probat & asseuerat. Ideò enim soluendas vsuras censuit Imperator, quia longo tempore fuerant præstitæ. Non dicit lex, quia pars allegabat titulum qui ex longo tempore præsumitur, sed quia pater vel dominus longo tempore præstitisset. Quo fit, vt Bartolus & aliorum diuinatio in illam legem non omninò satisfaciat: quinimò per eam liquidò probari con- 20

tenderim, diuturnitatem temporis in rebus incorporeis cum vſu & poſſeſſione, tituli loco & legitimæ cauſæ vice cenſeri, atque hoc valere vt poſſidenti denuò ea iura competant, & ſubinde debeātur. Nec vlla lege relatum inuenimus, ad eorum vſucapionem deſiderari titulum, imò contra non requiri eſt expreſſum in d.l. ſi quis diuturno.

Quod ſi eam in ſeruitutibus prædiorum, quæ modici ſunt momenti, habere locum aſſeras, citabo d. l. cùm de in rem verſo. quæ de iuribus non modici momenti & perſonalibus facit mentionem. Item l. litibus. C. de agricol. & cenſit. libr. 11. C. vbi Bartol.

Eo pertinent infinitæ quæſtiones per Iurisperitos deciſæ in l. qui in aliena. §. fin. ff. de acquiren. hæred. in l. ſi certis annis, C. de pact. in l. ſciendum. ff. de verb. oblig. ac infinitis alijs in locis, quæ hic inculcare ſuperuacaneum eſſet & faſtidioſum, vbi tradunt extrinſecam ſolennitatem præſumi ex lapſu decennij vſui & poſſeſſioni coniuncto. Secùs autem dicendum ſit, ſi ſolum tempus intercedat citra aliquem vſum vel poſſeſſionem, vt in illa ſpecie de muliere quæ contra ſtatutum contraxit. Non enim ex ſolo lapſu temporis augurabimur auctoritatem mariti interueniſſe, niſi vel cùm hoc debitum tenebre atque vſurarium ſolutum fuerit, vel aliàs creditor eo cōtractu vſus fuerit. Hoc & Alex. placuit poſt multos in d. l. qui in aliena. §. fin.

## SVMMARIA.

1 *Iuriſdictionis libertatem vſucapi non poſſe.*

2 *Iuriſdictio an & quanto tempore per ceſſationem datur, & num. ſeq.*

Dixi-

Diximus quomodo per conceſſionem Principum, atque per vſucapionem acquiratur iuriſdictio: Reliquum eſt vt quanto tempore perdatur, poſt Alber. & alios referamus. Non puto autem in hac quæſtione de vſucapione mentionem vllam poſſe tractari. Nam † licet in ſeruitutibus perſonalibus atque realibus capiatur vſu libertas, l. corruptionem, C. de vſufruct. l. penultim. C. de ſeruitutib. & aquar. Non idem in iuriſdictione eſt. Nullus enim libertatem iuriſdictionis ita vſucapere poteſt, vt liber ſit, & omni iuriſdictione exemptus. Siquidem hoc contra publicam vtilitatem eſſet, daretque incentiuum delinquendi, & ad peccandi illecebram inuitaret. 1

Quæſtio igitur eſt, † non quanto tempore capiatur vſu libertas iuriſdictionis, ſed quanto tempore per ceſſationem & non vſum perdatur iuriſdictio, quem articulum arbitror hoc modo eſſe definiendum: Nam qui iuriſdictione ſua vſus nõ fuerit temporis diuturni ſpatio, quo alius eum vſucapit, vt ſuprà diximus, meritò conuincetur eam longo tempore perdidiſſe. Si verò ſua iuriſdictione non ſit vſus, nec alius eam interim vſucepit, hunc caſum diſtinctione Alber. Bald. & recentiores. 2

Quandoquidem ſi caſus & oportunitas exercendi iuriſdictionem non ſe obtulit, quia nullæ controuerſiæ inciderunt, vel nihil litis fuit ortũ. Hic dicunt, non amitti iuriſdictionem non vtendo, nihilque de iure ſuo periclitari ceſſantem, cùm per occaſionem non licuerit eam exercere, licet quidam velint & autument eo caſu ius amitti, ſed ex generali clauſula reſtitui, l. vnus, cum l. ſeq.

seq.ff.de seruit.rustic.præd.l.si quis.§.fin.ff.quemad.seruit.amit. Quod an verum sit nec ne, non curo exquirere, nec ea opinio rem ipsam in magno ponit discrimine. Vbi autem defuit opportunitas, & iurisdictione sua cum licuit, quis desidiosè non est vsus, ibi dicit Bal. eam perdi diutino tempore, vel longissimo, & sequuntur eum recentiores hic.

8 Credo † verò hoc vltimum non esse perpetuo verum, atque ea in re à Baldo & suis dissentiendũ iure existimo. Nam si quis iurisdictionem suam non exercet, cùm possit & debeat, atque ita depræhenditur deses & negligens, non est expectandus vnus & alter annus, quinquennium aut decennium, sed confestim cognita negligentia, quæ arbitrio superioris ex lapsu vnius diei, mensis, aut breuioris temporis perpendi & æstimari potest, iurisdictione sua priuandus venit, & à suo officio deponendus. Id censent passim Dd. post gl. in l. mancipia, C. de seru. fugit. & l. si quos. C. de offic. præfect. præto. ori. Et probat multis dom. Iaco. in l. eũ qui res. C. de procurat.

Hoc amplius iure pontificio receptum est, regem ob insignem negligentiam à regno posse deturbari & destitui, c. grandi, de suppl end. neglig. præla. lib. 6. Et sanè non esset plerunque ex vsu reipub. longum tempus putà decem vel viginti annorum expectare, vt vecordem, ignauum, oscitabundumque & negligentem magistratum iurisdicendi facultate priuare liceat ei, cuius de ea re notio est.

Haec breuibus quãtum ad locos attinet, quos hic obiter disceptant scriptores, in quibus si nonnulla audaciæ temeritatisq; plena enuntiauimus, bonus iudex (rogo) boni consulat, nec accuset noua conantem, in ijs quæ scriptores ita confundũt,

vt ni-

vt nihil, iudicio meo, commentarijs in hanc legẽ & doctrinam eorum possit legi fastidiosius, & cõtemplari aliquando confusius. Quin quotidiè id vsu venire videmus, vt prolixiores sinuosioresq́; in hanc rem à neotericis commentarij euulgentur, quàm ab antiquis. Nam dum scrupulos & nodos curiosus quisque in re malè intellecta facilè reperit, necesse habet scriptis & recens inuentis, aliorum addere. Et planè si permittatur huiusmodi scabies amplius prurire, in amplissimas tandem excrescet putredines.

Omisi (fateor) prudens & consultò multos scriptorum, consiliorum, opinionumq́; allegationes, quas infinitum esset & superstitiosum referre, & quæ magis ad confusionem quàm ad eruditionem facerent. Simul quod nos legibus vt maximè pugnare, atque itidem nostra tueri cõstituimus. Quod si copia nonnullos delectet, recurrere plerunque poterunt ad illum quem citauimus locum, in quo allegationum syluam, disputationumq́ue inuenient amplam farraginem.

Ad extremum vt cum gratia omnium claudatur hic noster libellus, doctos omnes obtestor, ac per cælites oro, vt si quid à me perperam vel dictum vel animaduersum depræhenderint (quãdoquidem hominem esse me, & in multis labi posse, non dubito) ea castigatione, qua doctos decet, me inuadant legib. & iure nõ amarulentia decernẽt, veritatisq́; potius quàm contentionis studio contra nos digladientur. Paratus etenim sum ab emũctis narib. argui, & melius sentientiũ spicula non inuitus suscipere, atque æquo animo præferre.

Distichon Oldradi Placentini.

*In longos valeat benè Longouallius annos,*
*Quo duce ad imperium plana patensq́ via est.*

PETRI

## EETRI BOGVERII AVRELIANI ad Ioannem Longouallium.

*EN quæ iustitiæ partes, quæ iudicis extent,*
*Et qui sint iuris sub ditione gradus?*
*Legitimum imperium quid sit, gladijq; potestas*
*Nemo te melius scit, meliusq; docet.*
*Ecce tuo imperio Reges populiq; reguntur,*
*A te optant leges, accipiuntq; suas.*
*Et quæ de imperio cunctis noua sensa dedisti,*
*Ac si Cæsaribus sint data iura, probant.*
*Tu Regis imperio, & populis dat iura, potestas*
*Imperij hæc summa est, plus neque Cæsar habet*
*Sic de tuo imperio, & toto simul orbe triumphas,*
*Imperium toto nec minus orbe tuum est.*
*In reliquas leges quiduis nunc fortiter aude,*
*Lex digna ingenio vix erit illa tuo.*
*Nam cùm magnifica imperij de lege triumphes,*
*De toto facilis iure triumphus erit.*

### Abrahami Hannicquæi Royani, ad Lectorem Hexastichon.

*Vis nitidas Iuris dicundi agnoscere leges*
*Nubibus indensis quæ latuere diu?*
*Nil opus in montes vel in Acroceraunia rumpas,*
*Aut in cliuosis exercuere locis.*
*Tu tantùm in Longa securus ludito Valle,*
*Vnde queat nemo te dare præcipitem.*


### Nicolai Veraunij ad Lectorem Hendecasyllabon.

*Si plusquam siculas videre gerras*
*Si deliria multa, inutilesq;*

*Doctorum*

*Doctorum modo disputationes.*
*Vel si Cimerijs iuuat tenebris.*
*Obcæcare oculos, adito lector*
*Ad legem imperium illiusq; glossas*
*Gryphis & salebris scaturientes,*
*Illic omnia plena ineptiarum,*
*Nil ex legibus VLPIANVS ipse*
*In monstrum tibi ab explicante vorsus,*
*Ac si reddita vis suo nitori*
*Habere omnia, & integrum VLPIANVM,*
*Habeto lepidum hunc nouum libellum.*
*In hunc Imperium merum atque mixtum*
*Iurisdictioq; enitent tam aperte,*
*Vt nil lucidius queas videre,*
*Nihil tersius aut mage approbatum.*
*Quin & pleraque iura seruitutum*
*Diu nubibus obuoluta densis*
*Germano videas reposta sensu.*
*Atras denique si fugare noctes.*
*Si vis per mediam ambulare lucem,*
*Hoc habe tibi quicquid & libelli,*
*Tam bellè à domino suo expoliti,*
*Ac glossaria tortuasa, inepta.*
*Et vanissima deseras priorum.*

*FINIS.*



22 9bre 04

